

Res 7a 9630/2

JOANNIS MAVRY
SYLVÆ REGIÆ,
SIVE
VARIA EJUS POEMATIA;
IN LAUDEM
LVDOVICI MAGNI
REGIS CHRISTIANISSIMI.

*Accessere aliqua ejusdem Authoris
Miscellanea.*



PARISIIS;
Apud GULIELMUM DESPREZ, viâ
Jacobæâ, sub signo D. Prosperi.

M. D. C. LXXII.
CVM PERMISSV.

YAMALIA
DE LA
MILIA ETUS POMATIA
IN HABENDA
SOLITA
CATHARINA
CUM
179



J. A. T. S. E. S.
COLLEGE OF ST. JAMES,
1790.
BY D. G. L. KIT.
C. M. T. S. E. S.



A D
DELPHINUM.

R EGIE PRINCEPS,

Cum abunde jam prestes,
longe etiam supra etatem &

supra spem, quæ de Te, non-
dum Quinquenni, mea est
Musa vaticinata, hoc Au-
gurali Latino Carmine, quo
Te, hæc in lingua, nondum
primum exercentem tyroci-
nium est allocuta; Cumque
ejusdem linguae familiaris Ti-
bi usus jam sit, nec sis illi
in posterum per Interpretem
adeundus, patiatur obsecro
tua Benignitas illud idem Tibi
denuo Carmen offerri, con-
junctè cum istis Regiis quibus
illud Sylvis intexui. Habetis
enim in illo Carmine, ubi,
velut in speculo, Temet ipsum

inspicias ; dum ea perleges à
Te peracta , quæ de Te futu-
ra prædixi , dumque advertes
jam Te penè omne illud iter
esse emensum , quod Te initu-
rum prænuntiarum . Habebis
præterea , in istis Sylvis , Invi-
ctissimi PATRIS tui gesta quam
plurima , aeterna memoria con-
secrata , quæ fateor delibasse me
potius quam esse complexum ;
siquidem ea Historia fusiūs re-
linquens explicanda , in hoc
uno volui meam laborare in-
dustriam , ut ea in parvam
quasi imaginem contraherem ,
utque , dum totum Orbem fa-

mâ pervagantur , uno h̄ic ea
lustrares intuitu , ne Te diu-
tiūs in aliis studiis remoren-
tur , donec possis eadem imi-
tanda Tibi proponere . Nec
ad illud longam annorum in-
tercapedinem denuntio : Ni-
mirum , præter linguam istam ,
Latinam , tantâ proveheris
celeritate ad Regias omnes
Virtutes capessendas , cùm
propriâ indole , tum domesti-
cis etiam institutis , ut om-
nem non solum expectationem
prævertas , sed præcoccia qua-
que vota jam impleas , ea pro-
pediem cumulaturus , nec jam

festinationem illam tuam asse-
quatur contentissima eorum
admiratio , qui Te in hoc
Regio currentem stadio con-
tuentur. Unum supereft no-
bis à summo Nume exo-
randum , ut Te tali ac tan-
to, qualem te certissimè police-
ris , diutissimè Gallia , totus-
que Christianus orbis perfruan-
tur; Hocque , inter ferventif-
simos , enixissimè appreccatur

IVÆ REGIÆ CELSITVDINI,

Devotissimè & obsequentif-
simè subditus ,

JOANNES MAURY.

ERRATA.

- P**ag. 1. vers. 3. carmine, *lege carmina*:
P. 9. v. 19. Matris, *t.* Martis.
P. 18. v. 28. fructra, *t.* frustra.
Pag. 43. v. 6. ibi, *t.* ibit.
Pag. 48. v. 13. fulminum, *t.* fulmineum;
Pag. 69. v. 16. un, *t.* ut.
Pag. 74. v. 4. caput, *t.* capit.
Pag. 110. v. 8. sceptisque, *t.* sceptrisque.
Pag. 151. v. 10. insupide, *t.* insipide.
Pag. eadem, v. 22. relligiosor, *t.* relligiosior;



IOANNIS MAVRY. SYLVÆ REGIÆ.

Postquam Theatrum Litteratis, cùm indigenis, tūm alienigenis, suā munificentia Rex aperuit, Lutetiam ego, post diuturnum secessum, ex Provinciâ redij, anno scilicet 1663. residémque Musam meam sequenti Carmine excitavi.

A D R E G E M.

IN LAUDEM LIBERALITATIS,
quâ Poësim, aliásque liberales
artes prosequitur.

CARMEN PARÆNETICUM.

ANNE Poëtarum vetus illa, & trita querela
Autes pulsat adhuc, non esse vel Artis
honorem
Mercedémve suæ, sudari ad carmine frustra,
frustra morderi laurum, & tam rauca crepare

A

Jámne potest aliquis ? sublata est questibus illis
 Materies , L O D O I C E , tuo jam munere ; Musis
 Nec solis erecti animi , sed & artibus una
 Omnibus ingenuis , te Patre , aut vindice dignis.
 Nec fuerit tua Pace minor quam Gloria Bello ,
 Artibus his placidis , nulli licet inde triumphi ,
 Nullaque sanguineas nectat Victoria palmas ;
 Ac neque mercatur tibi Munificentia laudes
 Ista tua , illarum nam cui videaris egenus ?
 Sat , modò promeritis , juvenili es Marte canendus ,
 Sat sudare jubes doctas , Rex inclyte , frontes ,
 Naturæ spatum primis transgressus in annis ,
 Florem vix libans ætatis , & æmulus ævo
 Creditus , incanam referas qui mente senectam ,
 Consilio pollens prudente , atque hujus ad usum
 Corpore qui pœnas omnis patiente laboris .
 Armis æquantem Belli quoscumque Magistros .
 Unanimi jam te celebrant ardore Poëtæ
 Francigenæ , celebrant quos jactat & extera Tellus ,
 Nec te vel quanto , vel quo decet ore canentem
 Audimus , nec quis digno huc assurgere possit
 Carmine , defectas vincunt præconia Musas .
 Civiles quid nunc Belli cum dotibus addis ?
 Cum tibi nunc residí , cessanti extendere regnum
 Sætque supérq; amplum , sola est , vel maxima cura ,
 Hoc ut componas , omni exornésque decore ?
 Ingeminat nostrum illa quies à Marte labore ,
 Nam Bellatorem fuerat sat dicere fortem ,
 Invictum ; nunc Virtutes tecum ire per omnes
 Pacificas , Orbisque sequi per cuncta jubemur ,
 Toto dum lustras quod se commendat in orbe ,
 Abducisque , suâ possit si sede moveri
 Aut sponte , aut pretio ; vel , si natura repugnat ,
 Hoc , ipsū Archetypū superante imitamine , træfseri
 Et , cultu Regnum omnimodo ditare laboras .
 Artes , Artifices , Doctrinæque , has quoque doctos

3

Advehis ; ipsa etiam revocas , quæ sœcula dudum
Elapsa ; eruitur quod grande , insigne , sepultum;
Et vestigantur , quæ digna latebant.
Interea , non quæ beat Indulgentia Musas
Hæc tua , dire pluens nimbo , Rex magne , pigenda
Credatur , quod nulla suis te laudibus æquet.
Conatus valeat dignus mercede videri ;
Sæque sit in magnis velle , & tentare laborem
Audere immensum , tentato insistere frustra,
Et malè tentati comitem subiisse pudorem.
Erubuisse , aliquid num sit ? vel vile putetur,
Aut pretii sit parvi , oneri succumbere cogi ?
Non tenuis tua laus , at quæ supereminet omnes,
Laudari non posse satis , vincique fatentes
Atque reos laudis nos deterioris habere,
Tum donis multatare reos. Tua Gloria solùm
Hinc quod crescat habet ; meta hæc suprema ma-
nebat.

VOTUM PRO REGINA ANNA AVSTRIACA ÆGROTANTE.

Decumbebat *Regina-Mater* , morbo gravissi-
mo , singulisque diebus , in æde Religiosa-
rum Carmelitarum . *Musica* decantaban-
tur Preces pro impetranda eius salute. *Hæc*
ego Preces hōc Voto sum prosecutus.

Fas mihi sit , Superi , faustū quoq; publica Vota
Privatis cumulare meis , & supplice cultu ,

4

Accedo quamvis vestris indignior aris,
At celebrare aptus successu gaudia læto,
Illum si placeat nutu indulgere benigno.
Num gemebunda movent vos hæc modulamina;
sexu

Ex uirōque , polum blandā quæ voce lacesunt,
Carmeli sociata Choro , precibūsque canoris ?
Num movet & sacris operans , hōc sāpe facello,
Illi pius , Galli Præsul primarius orbis ,
Qui prece vos jugi , prece vos fervente fatigat,
Vel tro interventu summum exorabile Numen
Ut fiat ; talem totā exposcente salutem
Gallorum ditione , patet quām didita longè ?
Præcipuē num vos hæc quæ supereminet omnes
Reginæ constans Pietas , totiēsque probata,
Hicque movet cultus, vestris qui plurimis aris
Sufficit , donec sospesque valensque vigebat
Illa Deo tam se præbens Regina regendam,
Religionis amans , & Religionis amantum ?
Nunc quoque , dum languet , quæ non altaria fu-
mant

Vel thure illius , vel quod calet illius ergo ?
Hæc pereant , quæs vita perit , dūnique integrā credi,
Qum florensque potest , morbis obnoxia nullis ,
Sed malesana sui rectum quæ languet ad usum.
Hæc pereant , vixisse sequens quas nesciet ætas ,
Otia quòd lucis trahit per inertia munus.
Assumat quodcumque volet Mors juris in illas ;
In cōmune bonum totam hanc se impendere juvit ,
Privatis sive A N N A adytis sese abderet orans ,
Sedula sive animo studiōque juvaret aperto.
Nec vos illa movet pro charā cura Parente
Syderei Regis , qui curam hīc dividit illam ,
Quā solitus totā Regni invigilare saluti ?
Affidet ille diu , noctū vigil affidet idem .
Quos gemitus forticiet ille è pectore ? quantis

Ora rigat lacrymis , Heroe vel Hercule dignis ?
Heu ! nostros pietate metus , moderaminis expers ,
Ingeminat . Nec non conjux Regina dolorem
Auget adhuc nostrum , quam dicunt febre recentes
Tentatam simili , quamvis leviore pericolo ,
At leve tam charo capiti non imminet ullum .
Quantas nos in spes D E L P H I N O in luminis oras
Educto evexit jam tali , aliisque futurâ
Mox prole , extremo Regnum quæ terminet orbe ,
Cælo famam æquet , Pattis vestigia servans
Et Matri , sexus quantum sibi posset uterque ?
Quid Regis Frater , Reginæ hæc altera proles ,
Cura secunda , dolor languentis amörque Parentis ,
Et Fratri qui subsidium , agnatumque juvamen ,
Proximus Excubitor vasti in moderamine Regni ?
Quid Regni proceres alii , fidique Ministri ?
Febre simul languere omnes videantur cädem .
Ergo summe Parés hominū , Regumque supreme ,
Tot dignare preces modulatas , totque silentes
Exaudire , oris junctas cordisque loquelas .
Tum lyra nostra tuas modulabitur aurea laudes ,
Pieta Tabella tuis appensa hoc nostra loquetur
In templis , aliisque , manus quas doctior ornat .
Utque æternum istud Regnum das esse futuruim ,
Hæc tua perpetuis scribetur Gratia fastis .



~~~~~  
~~~~~  
~~~~~  
~~~~~

A D R E G E M, PRO RESTITUTA EJUS SALUTE.

*Convaluit aliquantis per Regina-Mater, sed
mox in repentinum, & gravissimum mor-
bum, Versaliis, Rex incidit, ita ut intra
unius diei spatium in manifestissimum vi-
tae periculum sit redactus. Iamque complor-
atus videbatur, sed vicerunt publica
vota; Tumque in publica letitia hoc ego
edidi*


GARMEN SOTERICUM:

O ! Quæ Francigenas, sed quanto heu ! patet
dolore
Gaudia perfundunt zedivivos, fospite Rege
Lumine qui nobis, animâ qui charior ipsa
Enitet, evictâ qualis Sol nube coruseat !
Ejus certa salus quò nubila nostra sereno
Exhilarat ? nobis aliis quicumque placeret
Hâc mercede dolor, lâtè subcantur & omnes;
Verum alias ô Fata vias tentate benigna
Nostros ad cantus similes, festâsque choreas.
Atque paris causam posthac avertite plausus.
Regia felici procedat vita tenore,
Aurea continuo ducantur stamine fila.

7
Leviāque hæc peragant illæsāque pensa sorores.
Ex quō tam charæ fama est vulgata salutis,
Latī noctem ignes , læta & funeralia vincunt,
Et Pyrius pulvis streperas volitando per auras
Fert nostram mille ignitis ad sydera linguis
Lætitiam , lambunt flammantia sibila Cœlum;
Ardentes illuc veluti referentia grates,
Fluxerat unde ad nos demissa hæc gratia , lapsu,
Præcipiti , manibus nimirum adducta supinis
Innumeris , precibūisque omni de pectore fusis.
Ad contendentes votorum pendula nisus
Vix unum est permitta diem spes ducere nōstras,
Tantus spirabat studiis communibus ardor.
At Tu , qui nimiis (fas sit mihi dicere) curis
Ætatem exerces juvenilem , viribus usque
Heu nimirū confise tuis , Rex inclyte , parce,
Parce labore ultrâ mentem corpūisque gravate
Affiduo , & rursus fugientem accersere morbum.
Non Deus ipse , Deus , per se qui cuncta creavit,
Per se cuncta regit ; causis permitta secundis
Signatā jubet ire viā. Digneris imago
Hic simul esse Dei. Cunctis non sufficis unus,
Mente licet valeas divinā , amplique capacem
Imperii teneris illam mitemur ab annis.
Laudari satis illa nequit sententia , sed it
Quæ tibi , quæque sedet pariter justisque , piisquæ
Quæ Regum causā populos negat esse creatos,
Aptat sed Reges populis , quā Pastor ovili
Præficitur ratione. Hoc & satis ipse probasti,
Dum Bellatorem , populi divinctus amore,
Pace domas animum , Belli dulcedine captum,
Inque tuo Martem vinclis constringis ahenis
Pectore. Ni facias , claustris erumpat apertis,
Turbinis in morem , rapidis Aquilonibus acti.
Ambitionem , orbis quæ se vix finibus arctet,
Ambitione premis majori , finibus Äqui,

8

Responsare lacesſenti ſolūm uſque paratus,
Atque occurſurus vel fulminis ocyor alis,
Vefano ſi cui tam cæca audacia crescat.
Hic ubi frænatus deferuit impetus , & nos,
Ut credi par eſt , æternâ Pace beaſti,
Ejuſdem Pacis placeat nunc artibus uti,
Indulgere tuæ , populi indulgendo quieti;
Teque diu Patrem patriæ, Dominumque benignum
Amplectamur ; ames hōc ſemper nomine dici.
Sit felix populus tua vera & ſumma voluptas,
Ejuſ ſis opibus dives , ſecurus amore.



AD REGEM,

CARMEN EUCHARISTICUM.

*Hoc Carmen edidi, poſtquam mea eſt Muſa
in Gratiarum numerum
allecta.*

Effusa in varias tua Munificentia Muſas ;
Quas, LODOICE, inter, dignata & noſtra vocari,
Jam celebrata mihi eſt, etiam tua munera nondum
Sortito : ſic illa mihi tua Gloria cordi,
Et priuata , minùs quam publica , cauſa ſedebat.
Ingenuas lætabar ali tot honoribus artes,
Hūncque tuæ titulum jam ſummæ accedere famz,
Jamque mihi , qui tunc alieno munere functus
Nunc obeo proprium , ſtaret ſegeſ illa metenda
Actiūs ; aſt hujuſ ratio p̄ræpta laboris

7

Jam penè est omnis , vix quid liquere priores
Intactum ; tritas , similesve , aut prorsus easdem
Hasce fatigatus laudes audire gravatis ,
Et nugis velles his obsurdescere nostris .
Non tua Praecones nos Munificentia quætit ,
Non scopus ille fuit ; sed ut artes provehat , utque
Doctrinas , fœcundo illas rigat annua rore .
Si , Pace in mediâ , juvat ad tua gesta regressus
Bellica , viðtrices eductæ ad sydera palmæ ,
Cantatæque tuæ multo jam carmine laurus ,
Intextæ innumeris , formâ variante , coronis
Vix possunt alios posthac admittere cultus ;
Materiamque novam raptura , novosq; Triumphos
Expectat vatum Marte à malè deside turba ,
Credatur quamvis tua nondum æquasse priora .
Hanc sibi materiam modò defecisse queratur ,
Qui volet ; atque impar veteri , sub mole recentis
Optet adhuc , Rex Magne , premi fas dicere , non tu
Pace doles pariter tibi munera Matri amici
Præcisa , & famæ cumulum , qui te inde manebat
Ereptum , Pacem victor nam sponte dedisti ,
Et pia depositit libratum Dextera fulmen ,
Straturum extremâ quæcumque adversa ruinâ .
Urgebant alii tituli sese addere multi
Jam partis ; placuit Pacis de nomine ductus .
Nimirum potior , quam Belli laurea quævis ,
Justitiae tibi cura fuit . Divûm illa voluptas ,
Tutaménque hominū cōmune , adamantina turrîs ,
Arces quæ cunctas , & propugnacula vincit ,
Omne tuum studium nunc est , atque unicus ardor .
Hæc per te regnat , regnas illius & ipse
Inconcussus ope , & superis caput inferis astris .
Nec tibi materies & nunc , post cætera victa ,
Deficit , ipsum etiam te vincere namque laboras .
Prima , homines inter , coëundi causa , simûlque
Ducendæ vitæ , fuit hæc ; supremus ut esset

Consilio , probitate , fide , fortissimus idem ,
Mente animoque potens , & pectore major & armis ,
Illatam qui vim , nocuumque retunderet ausum ,
Et placidâ regeret populos in Pace quietos .
Hæc propter , decreta fides , veneratio summa ,
Obsequiumque illis , & honestæ debita vitæ
Commoda , & Imperio , Majestatique tuendæ
Divitiæ , quales poterant hōc tempore cudi .
Delatum armorum jus & moderamen , honorum
Commissum arbitrium , pœnæque , & præmia . Fervē
Aula ministeriis nondum , nondūmque satelles ,
Cūm totum in populi staret munimen amote ,
Nec pompam nosset rudit illa , & prima potestas .
Regales tunc namque casas suspendere furcis
Mos erat , aggestis tectas ramalibus ; hīcque
Securum Reges contenti carpere somnum ,
Agrestesque epulas , partiri Jura solebant .
Aurea pendebant nondum laquearia , nondum
Conflari ad Cœnas Exercitus ille Minister
Norat , & Officio turmatim cuique vacare .
Nondum erat ad pompā pretiosa inventa supeller ,
Materiam superante etiam pretiosior arte .
Illa fuit Regum prima & communis origo ,
Numine mox sancita Dei firmatâque summo ,
Et Majestatis radio affulgente supremæ .
Judicibusque usos homines , & Regibus isdem
Ostendunt Minos , Radamanthus , & Æacus , ~~equi~~
Cultores sic olim habiti , tam vindice cutâ ,
Ut sit in Infernis eadem mandata potestas
Sedibus , & Manes hæc laus penetrarit ad imos ,
Est habitus semper Rex legum & Juris asylum ,
Nec Jussor tantum , sed Cognitor , araque cuncti
Communis , præsente adsit cui Numine semper .
Nec certè tibi visum aliter , nec dissona sentis
PRINDEPS , Virtutes complectens Principis omnes ,
Præbens tanti precibus faciles , & questibus aures ,

Supplicib[us]que gravis dextrâ, lævâque libellis
 Incendens, studiōque illos prudente revolvens,
 Attentâque simul Pietate; & mente sagaci
 Imo intospiciens, fucum facientia vero.
 Iudicium, pars illa animi vibratior, omnem
 Discutit exemplò nubem; pigmenta, colores
 Nudat, & uno artes defigit acuminis ictu,
 Luce fugat; tenebras ut lucida tela diei
 Dispellunt, subitōque atris Nox transfugit alis;
 Et posito Natura patens velamine fulget.
 Cūnque unus nequeas cunctis par esse regendis;
 Te juvat exemplo simul, imperiōque præire
 Iudicibus reliquis, iter & monstrare jubendo.
 Illâ quisque ad se transfert ab imagine mores;
 Non sccus, ac docti rudit exemplaria Pictor
 Exprimit, unde suæ supplet, quod deficit arti.
 Hoc tu pollicitus teneris quoque nuper in annis;
 Illâ sydereæ, quâ præstas, in dole mentis,
 Hæcque super, cultu tibi quæ formata secundo est
 Præceptoris opus, tanto tam munere digni.
 Altam hic stillavit Pietatem, & Principis aptam
 Sublimi officio. Docuit quid subditus à te,
 Quid Deus exposcat; quid debes natus utriusque;
 Atque Deum, atque homines inter, cœlumque,
 Solumque.
 Fecit, ne cùm sit tua jam suprema potestas,
 Illud agas, quodcumque potes, malisve; sed æquis
 Sis custos, vindex recti atque assessor, & almæ
 Regum Reginæ Rationi subditus ultrò.
 Hinc & Religio cultum veneranda resumit
 Canitiémque suam, legum observantia robur;
 Et divina in te magis ac magis extat imago,
 Prominet, atque oculos prestringit lumine nostris;
 Cùm Pax illa neget, quæ fuso ex hoste trophæa,
 Quæque è captivis, mos ut fuit, erigat armis
 Dextera, magnificis décorare Penatibus urbem

Non cessas ; decotat par Magnificentia dulcem
 Illum secessum , venandi aptissimus arti
 Eximiè qui se inde tuo commendat amori.
 Absentes revocas artes, dudumque jacentes
 Erigis , è tumulo nec non tua dextra sepultas
 Suscitat , & semper memori transcriberis ævo.
 Cætera mox aderunt Pacis bona ; nempe resesti
 Bellorum sumptus , contracta impendia vana
 Per multa , Expilatorum vacuata Carybdis,
 Aut certè Astreæ jamiam vacuanda labore,
 Et cedent populo, quæcumqne revulsa, levando.
 Est etiam pergrata tibi Moderatio visa,
 Quâ non vectigal maius , vel promptius illum,
 Nec Regni Medicina malis præsentior adsit.
 Præterea poterit par séque Modestia menti
 Magnatum , ac populo simul insinuare sequaci.
 Hoc suadere potest Exemplum Principis unum.
 Nam licet, attritis opibus , redigantur ad assēm,
 Nobilibus stultam non extorquebit egestas
 Ambitionem , illam populo non detrahet imo,
 Non luxuri leges inhibebunt mille , modumve
 Sumptibus imponent , sed contà insania crescer,
 Ni Regis proceres habeant imitanda modesti
 Exempla, & proceres habeat nisi Turba sequendos,
 Inter Primates nisi Regi acceptior ille,
 Qui melior , non qui fastu sit victor , opumque
 Luxurie : par de populo sententia constat.
 Sic ostentatis se commendare superbus
 Divitiis credet nemo ; Exuperantia sideret
 Illa tumens , frugi succedet vita , sibique
 Quisque parabit opes , Regi simul ; omnia namque
 Quæ parcí accumulant cives , sunt Principis æqui,
 Asservata manent Justo , & devota benigno,
 Nimirūm populi qui conferat illa saluti,
 Haudque voluptates , atque in sua iudicra veritat,
 Magnis ni curis debet quanta levandis.

Talis opes Regis populant, perduntque, profusi
 Qui sua consumunt. Hoc dum, Rex Magne, cavebis.
 Quam rebus penus illa tuis succurret egenis?
 Regis amore tuus populos supereminet omnes,
 Majestas alios superat quam Gallica Reges,
 Hos etiam supra quam Tu virtutibus extas.
 Interea Pacem sic Jure colisque, fovésque,
 Ut Bellum spectare oculo videaris & uno,
 Accinctusque illi invigiles, sempérque paratus,
 Exercens lectas Belli sub imagine turmas,
 Et diversa ciens pugnæ simulachra sub armis;
 Prospiciens longè, quæ Bello accommoda, seu quis
 Obvius ire patat, trepidoque supervenit hosti,
 Seu manet opperiens adeuntein, & mole suâ stat,
 Quod tuus iste vigor, tua nec permiserit ætas,
 Assuetusque armis semper viðricibus ardor,
 Tardus ut expectes Regni in penetralibus ulti,
 Nec talem experti tibi tela adversa ferentes,
 Sedibus in propriis soliti, Laribusque retundi.
 Vx, quibus in vacuâ fortis Bellator arenâ
 Proludis, virésque probas, ceu cornua Taurus
 Arboris obnixus trunco, nubisque rotator
 Pulvereæ. Quibus hanc Belli tua dextera nubem
 Detonet, expectant omnes, pavidiique tremiscunt,
 Sed tu justa simul tela, & non irrita torques.
 Non tu Barbaricus, non implacabilis ulti,
 Injustè dominandi avidus, cupidusve nocendi,
 Majus ad imperium flammis grassansque ruinâ.
 Est certè rabies (fas sit dixisse) ferina,
 Sanguine, vulneribus gaudere, hominisque negato
 Nominie, & exutâ formâ, vel denique mente,
 In sylvestre animal rabido transire Leone
 Induto, aut ursò, maculosâ aut Tigride, vel si
 In Lybicis aliud stabulat crudelius antris.
 At quantò hortidius mores superare ferinos.
 Nec solùm patrare homines, animalia quid

Improbiora, fame faciunt stimulante, vel ira
 Vindicéque insultu, sed & insanire gregatim,
 Et glomeratâ acie, parte ex utrâque furentes;
 Cùmque accepta etiam sit nulla injuria, damnum
 Privatum nullum, privata nec ulla doloris
 Vel sit causa odii; nec se de nomine norint,
 Nec se de facie; diversi ut dixeris orbis?
 Concurrunt, lacerant sese, laniántque. Nec illa
 Connatis peragunt (qui mos animalibus) armis.
 Mille nocendi artes, & Mortis tela ministra
 Inventa, heu! Mortis nimis occurrentis ubique,
 Quam circumferimus, quæ nos Juvenésque, se
 nésque

Delibat, carpit vigiles, somnōque sepultos,
 Cujus id est, vitæ quidquid fluxitve, fluitve;
 Nósque juvat, veluti cessantia, fata vocare?
 Quis furor? Est etiam summa illa Scientia, summe
 Nunc in honore; & se Virtutis nomine sola
 Commendat, Virtus celebratur bellica tantum.
 Proh! superi. Virtusne, homines ars illa necandi,
 Everettendi urbes, edendæ stragis, & almæ
 Quod Pacis studio multis adoleverat annis,
 Totum sternendi, subitâ ceu fulminis ita?
 Quis Tempestati, quis nunc non erigat aras
 Grandini, & illi, alto montis qui vertice præcepit
 Verrit agros Torrens, & spem læti abripit anni?
 Militis infræni stat fine licentia nullo;
 Hostiles inter discrimen agrosque, Larcisque,
 Et patrios, nosse omne negat; naui ponere morem
 Quis Turbæ, toto exhausto nisi sanguine, possit
 Bellorum taceo sumptus, Prudentia quantos
 Definit nulla, & quantos nec parca parate
 Ulla potest, quamvis jam longo à tempore cura
 Invigilans; alia ex aliis nam bella feruntur,
 Et paritur Cadmæa ferè Victoria quævis.
 Letnæam aggreditur, belluni qui suscipit, Hydram,

15

Cuique absolvendo plerūmque haud sufficit ~~actas~~
Integra , nec si etiam Marte est satis usq; benigno;
Tantas per strages , tot per dispendia , bellum
Ut fiat , quænam fuerit Victoria tanti?
Ut tot stringantur gladiorum millia , quæ Pax
Comprimit , an possit sat justa lacestere causa ?
Histamen adversa pugnat quoque plurima fronte,
Nec Bellum nullâ se se ratione tuetur.
Equis enim Bellum Virtutis dicere cotem
Non probet , Imperiique neget plerūmque saluti
Hoc ipso conferre , solent quò pharmaca more,
Utili amaritie sontes vacuantia succos ?
Bello exhaustur pariter sentina malorum,
Exque hominum. Pereunt certè insontésque , pro
bique
Rapti cum pravis ab eodem turbine multi ,
Bello qui fortes , séque accinxere modesti ,
Et functi sunt justè illo , functique decorè ;
Intereunt pulchrâ sed morte , superstite famâ ,
Illi quæ vitæ pretio benè creditur empta .
Libertatem etiam Bellum , vitamque tuetur .
Et genitus Jove , Dñis similis Bellator haberi
Est olim solitus ; sequitur nec Gloria dispar
Nunc quoque ; tanta viri tenet admiratio fortis ,
Totque & tanta solent reliquis hinc cōmoda nasci .
Hoc sub præsidio studium viget omne . Tumultus
Exoritur si quis , motuſve levissima tantum
Suspicio , fuerunt mox Leges , lausque Forensis ,
Clamosæque artes alia quæcumque filere ,
Et Bellatricis tutamen querere dextræ .
Demum Pace frui Bello speratur ab uno .
Posse lacestantes ulcisi , & pellere , sola est ,
Et secura quies : Pacisque cupidine , Bellum
Qui fugiet nimia , Bello Rex ille premetur .
Bellum incentivum nam Rex minis acer ; at hosti
Asper , acerba minans , & qui videatur in armis

State, lacenti velox occurrere semper,
 Ille erit & vinclum communis, & anchora Pacis
 Sed nec Pacis opes, Belli nisi munere, tutæ
 Servantur; solo illius stant robore firmæ.
 Ut studium venandi alacres, per saxa, nivæsque,
 Per sylvas rapit, immemores, avidosque laboris;
 Fertur non etiam Bello sua deesse voluptas,
 Ille armatorum strepitus, clangorque Tubarum,
 Cæteraque, expertis melius dicenda. Sed illa
 Et dira, & nimio certè oblectatio constat.
 Pacis præcipuo Princeps teneatur amore:
 Conetur toto hanc nisu retinere; coactus
 Pugnet pro Patriâ, pro séque, suisque tuendis,
 Pro sociis, Regni pro Majestate verendâ.
 Nam jus fâsque sinunt vim vi propellere, fraudem
 Fraude, astute pari (promissis attamen hosti
 Stando ipsi) ut meritum merito pensare decebit,
 Nec Bellum, Belli, sed Pacis amore geratur:
 Et Belli finis populus sit Pace beandus.
 Sit modus hic. Sed quò detorta es, Musa, rapire
 Es permissa? Chorum saltas audacior extra.
 Sis, modò ducendos, cantare parata Triumphos,
 Vatis dignaris, non Consultricis honore.





AD DELPHINVM.

CARMEN AUGURALE.

Hujus Carminis materiam arripui , quâ pri-
mum die Delphinum , nondum quinquen-
nem , à me videri contigit. Illo ex aspectu
Musa mea in hoc Carmen erupit.

Sollicitat querulo surdas quoque carmine rupes
Non auditus amans , qui scit nec posse querentē
Audiri sese ; surdis sua narrat & illis
Gaudia , corde premi tacito cùm nescia fervent
Exundantque frequens ut mos , utque usus amantū;
Nec pudet affari quæcumque carentia sensu.
Sanus at ipse magis , cùm te , de sanguine Divūm
Oꝝte Puer , magnis qui par Heroībus esse
Festinas , nec non ipsum olim æquare Parentem ,
Alloquot , expletē teneros pueriliter annos ,
Hæc tua prima ætas nostris licet apta Camœnis
Sit minùs , & Latiam nondum capture loquelam .
Scilicet illa tibi non defectura , paternâ
Mox curâ. Novit Genitor , notumque fatetur
Esse sibi , quâm sit dos hæc quoque regia , quæ sit ,
Quantâque , majestas Romanæ & gloria lingue ,
Quos & adhuc animos spiret , vetricibus armis
Se comitem quæ toto olim circumtulit orbe ,
Et domitum bello moderata est legibus æquis ,
Jureque frænavit nostra hæc ad tempora sacro.

Reddenterem voces, Lingua qui te imbuat ista
 Jam nunc Praeceptor tibi designatur: at artem
 Quamcumque admoveat solers & sedulus ille,
 Quocumque adproperet studio, mea prouior ætas
 Præcipitate moras jubet, & quæ tempora fandi,
 Præcipit accelerans, ne præripiatur & ipsa
 Devexa, occidua, lapsuque minante senecta.
 Ergo mansuras detur cum promere voces,
 Aëte quas vacuo nequeant discerpere venti,
 Sed quæ, me resonent absente, ac lumine casso;
 Non, hæc luce mihi primus es qui visus, abibis
 Indicatus, divine Puer, quiue oris amoenus
 Fulget honos rosei, & spondent que plurima Patre
 Te dignum tanto. Setis adscribere fastis,
 Æternisque diem juvat hanc signare figuris.
 Sed quod tam promptum subito me perculit cœstru
 Quò me, Musa, rapis? qui me novus evehit ardor
 Quâ, præter solitum sublimis, deferor auta?
 Jam prætervectus videor mortalia quæque,
 Nec videor frustra; summi nam sistor in æde
 Parnassi, Templi hoc facies designat, & intus
 Sacrum agnoscere chorū celeri dumque omnia lustro
 Lumine multivagus, nequeo explerique tuendo,
 Hæc Musas inter medius, mihi dictat Apollo.
 Qui tibi sydereus Puer est modò visus, Eoo
 Non cedens astro, rutilo cum promicat ortu,
 Non tua nequidquam stupefacto lumina fixit
 Obtutu, non hinc fructra admiratio tanta
 Orta tibi, gratâ mentem dulcedine pascens.
 Nos eadem, majorve tenet: sed nec minor instat
 Illius labor in gestis, sudorque canendis,
 Cum cantus jam jamque Parens exhauserit omnes
 Nos hæc cura agitat, partem at simul ipse subibis
 Nam tibi materiam primâ parat ille juventa.
 Nec tua sic nentes properarunt fata Sorores,
 Agglomerata colo quin vita supersit, ad istas

Laudum primitias juvenili è flore legendas:
 Interea poteris illi te accingere curæ,
 Jam nunc præmonitus , poteris jam ferta parare.
 Neve pares dubij caligine tecta futuri,
 Texendæ historiæ primævam hic accipe partem,
 Quæ testem vatemque simul te possit habere.
 Quô vultu , quali spes excitet indole magnas,
 Primô ex aspectu , facilique indagine , rite
 Observasti , at spes vincet quoque protinus omnes.
 Quæ non ille dedit Genij jam signa sagacis,
 Humanæ visus mentis transcendere vires,
 Ætatem certè quām supra? Vix bene quarto
 Advolvi quintus jam jam cùm cœperit annus,
 Quis non miretur cælo velut hausta subinde
 Responsa , interdum sensūs quæsita profundi,
 Diffusus per cuncta lepos quæ regius auget,
 Ut radians substrato adamas accenditur auro?
 Ludendo Latias est doctus reddere voces
 Jam penè innumeræ. Quid spondet seria curæ?
 Verus ubi , & constans , ex officioque futurus,
 Tam properæ cultus Naturæ accedet , Achilles
 Semiferi præcepta senis non ocyùs hausit,
 Non Stagiritæ Juvenis Pellæus , iniquè
 Ferre licet dictus sibi nil à Patre relinquì
 Vincendū, ad proprios & sic properasse triumphos,
 Unus vincenti vix ut sufficerit orbis.
 At ripiet magis iste avidus , quæ Principe summo
 Dignæ sunt artes , Pacis Bellique magistræ.
 Maturōsque severa licet Sophia exigat annos,
 Ejus gaudebit tingi quoque rore tenellus,
 Socratico nimirum illo , virtutibus almos
 Qui præbet succos , apta & fomenta ministrat,
 Quique nocet populis neglectus , Regibus æquè.
 Nosse volet jam tunc, Rectum ratioque, modusque
 Quis statuat. sed præcipue , Rex ipse futurus,
 Exquiret , quidnam Regis sit munere fungi;

Ac , nunquam posthac delenda , hinc hauriet æqui
 Semina , & in populos studiū mentemque paternam.
 Ut , quę non liceant , nolit quoque posse , nec unqu
 Vel Fortuna nimis , vel quid permiserit Ira ,
 Affectusve alij , mentem de sede moventes.
 Officij sciet esse sui , conamine toto
 Imperij faciem cœlo assimilare sereno :
 Otiaque esse sibi proprio tutanda labore
 Publica , commissum , quantā licet arte , regendo
 Communis clavum Fortunæ. Intelliget esse
 Verum Regis opus populi servire saluti ,
 Illi se vigilem deberi perpetue curâ ;
 Ac sibi se totum , regni cùm sumet habenas ,
 Eripiendum olim ; demum lege esse jubendum ,
 Exemploque suo ; lege , exemploque vetandum .
 Annis in teneris , properato lumine noscet
 Hæc cuncta , assensu firmabit & illa tenaci .
 Linguis callebit varias , operæque futuræ
 Quæ pretium , quas nobilitas commendet , & usus
 Occursans , vel quæ commercia nectere plura
 Sint aptæ ; capiet reliquas interprete voce .
 Illius ad nostras & se feret impetus artes
 Interdum . His quantum liceat , deceatque , litabit ,
 Se tantum oblectans , accutatumque Poëtis
 In meritis studium , prudensque , sciensque foyebit ,
 Legitimos doctâ numeros exercitus aure .
 Mores ediscet populorum , quōque sub axe
 Quisque jacet , magni qui nunc , ævōque priori
 Qui celebres fulsere viri . Sicque , omnia mente
 Complexus memori , vixisse videbitur ortu
 A mundi primo , venturaque plurima longè
 Prospiciet ; quando h̄ic errant vel maxima Reges
 Indocti , qui sola sui confinia norunt
 Imperij , vel regna sibi contermina tantum ,
 Aut hos tantum homines , sibi quos , velut arce
 videndos

Ex altâ , Fortunæ humilis submisit acervus;
 Unde sibi nimirum multi tribuere , supino
 Neglectu historias dignati evolvere nullas,
 Nec quē suspicerent, nec quē sequerentur habentes
 Cui se conferrent , alieno & se pede nunquam
 Emensi , in sese converso lumine toto.
 Qui legit , aut audit sapiens , sapientior usque
 Evadit. Radix spreta ut Doctrina malorum,
 Causaque multorum , rite est ubi culta, juvamen
 Est ingens , clarumque decus. Patris æmulus iste,
 Aut ipsum vincens (vinci nec se ille dolebit)
 Hinc quoque virtutem reliquis circumfluus addet,
 Regem quæ deceat, Doctrinam. His dotibus illum
 Instructum , mox consiliis , rebusque gerendis
 Maturum adjunget lætus Pater , integer ævi
 Ipse licet , laurōsque metens , palmasque recentes:
 Communem in laudum segetem, pattemque pericla
 Illum deducet , digna hūc cùm bel a vocabunt.
 Par ducentis erit prudentia , parque sequentis
 Ardor , iter signans rigidum quacumque præbit
 Gloria , ad Herculeos et si vocet illa labores.
 Cernis , ut ille Aquilæ generosus ab æthere pullus
 Præcipiti labens pennâ , patris advolat alis
 Proximus , ad primam quoque prædā , altoq; relicto
 Tum primūm nido , rostro se rursus , & ungue
 Legitimam præstat sobolem , Sole antè probatam.
 Utue , jubâ cùm se , validisque Leunculus auctum
 Unguisque armari sensit quoque dentibus ora,
 Audacesque sibi stimulos sub pectore vetti,
 Materno renuit venatu & munere pasci,
 Afferique dapes sibi dedignatur ; at ipse
 Æstuat ire comes , nec non , è rupe secutus,
 Imbuit os capreæ , mox mergit cæde juvenci.
 Talis & ille Patri primis comes ibit in armis,
 Ad laudes grassans , quas mox cumulabit , avitas.
 Hæc tu durabis primæva ad gesta , senili

Illa canesque tubâ , tuus huc durabit & ardor;
 Cætera cantabunt juvenilia fortius æra.
 Officio tua functa suo , composta quiete
 Decumbent placidâ , nec honore carentia justo,
 Hæc fatus , juvenile mihi quid spirat Apollo,
 Et spes in tantas animo dimittit ovantem.
 Interea , celebrande Puer , quæ stamina vitæ
 Producenda meæ visus promittere Phœbus,
 Sustentat Pater illa tuus , docta otia Musæ
 Indulgens etiam nostræ , totque inter olores,
 Dignatus gracilis cantum , strepitumve Cicadæ;



EMINENTISSIMO
ET REVERENDISSIMO
ECCLESIAE PRINCIPI
D. DOMINO
FLAVIO CHISIO;
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ
in Galliam Legato à Latere.

*Quamvis hoc Carmen Regi non inscribatur,
ad ipsum tamen , eiusque Historiam ma-
xime pertinet ; siquidem missus est iste Le-
gatus à Summo Pontifice , ut cum Rege
rediret in gratiam. Norunt omnes dissidij
causam , & fedus Pisces conceptum , mox
firmatum hac legatione , quæ una erat ex
principiis conditionibus fœderis.*

TRISTIBUS ex adytis cæcum spargebat Erynnis
Diffidium , Gallos inter quos terra triumphis
Dudum dives alit , nunc ditior , atque verendam
Sacris Italiam , & Romæ venerabile Numen.
Hinc Patris , hinc Nati cessabant dulcia ferri
Nomina , & adversas horrenda ad classica turmas
Excierat Belli plus quam civilis Enyo.
Audijt , & cœli C H R I S T U S prospexit ab aere

In Col-
loquio
Pisano.

Quassari geminas Fidei cœpisse columnas,
Atqué instare illo suprema pericula motu.
Tunc Regum qui corda manu fingitque, foveatque,
Quem penes arbitriū est, & sūma in sceptrā potestas,
Nec minor inque illam triplicem quā Roma cotomā
Extulit, ac ipsum quā Cœlum æquate videtur,
Quō regit imperio terras, quō sydera nūtu
Torquet, & æternā Mundum ratione gubernat,
Belli præscindit causas, & foedera jungit.
Nimirum quamvis, meritæ cum laudis honore,
Hic ritè humani desudavere labores,
Et tetigit summas humana Industria metas;
Divinæ tamen illud opus fas dicere dextræ,
Et juvat ad fontem superato ascendere rivo;
Quippe datur Pacem solis accetsere votis,
Nec frustra donum illa velit cœlestē vocari.
Ecquis Io! tanti mittetur muneris Ales
Nuntius è cœlo? quō jussus ab agmine labi
Ad nos æthereā veniet de sede Minister?
Non aliis, quam tu, Divūm de sanguine, Chisi,
Hūc meritis, hāc natali splendore vocatus.
Tu delegatis Pacis Firmator amicæ,
Affulgésque aptè nostris gratissimus otis,
Qualis, quam fugiunt venti, fugiuntque procellæ,
Stella, fatigatos recreat quæ candida Nautas;
Sternitur æquor aquis, emergunt nubila cœlo
Sydera. Non alio nobis fulgore cotuscas,
Sicque ad conspectum mitescunt omnia vultum,
Tantus in ore decor, Pietas in pectora tanta,
Tot sunt ingenij dotes, & amabilis artes
Eloquij, primo quævis sic pectora mulces
Affatu. Effusis admitteris urbibus, itque
Obvia tota, velut propriâ de sede revulsa
Gallia, & admissum totis amplectitur ulnis.
Te Plebs, te Proceres juncto venerantur amore.
Nobilium te flos ambit circumflauis; in te


Sermoni

Sermonis venetes, Charites miratur & omnes,
 Nec non purpuream Romano Principe dignis
 Conditam salibus gravitatem, occasio si qua,
 Réste vocat. Quidquid sibi vindicat A u l a decori,
 Quidquid & ingenui simul exultique leporis,
 Quidquid amoëni, illud dictis, & moribus infers,
 Et quæ præfulget toti his virtutibus orbi,
 Nostra suis à te in castris vinci Aula fatetur.
 Jam quanta in magnis vis & solertia rebus?
 Quām tu consilio polles, & mente sagaci?
 Nū nūs magnificum spiras; visusque remitti
 Magnificos inter ludos, spectacula, pompas,
 Oe nitens hilari, tunc ad summa intus anhelias,
 Ambitione ardens sacrâ, quâ seilicet amplum
 Christi moveas cultum, & quâ crescat ovile,
 Quod sortis jam penè tuæ, cuiusque vocaris
 In partem curæ, gregis & Pastoris amore.
 Unde, gradu quamvis nunc inferiore teneris,
 Te colit, ut positum supremo in culmine, Clerus,
 Ut prævertentem meritis, quod denegat ætas.
 Quid R e x? (ô superi, quod nutu est pondus in isto?)
 Te studiis ille insolitis, & honoribus ultrò.
 Prosequitur, tecumque modum servare suprema
 Majestas vix illa potest, dum conscientia tanti
 Est meriti: reliqui sibi nil fecisse videtur
 Quô Regis tibi constet amor, quô gloria Regni.
 Jam quanto applausu populosa Lutetia, quâ te
 Letitia excepit, quantoque superba paratu?
 Non alio, quam quô reliquas supereminet urbes
 Ita, caput Mundi, Mundus nisi possit & ipsa
 Divitiis, formâ, populis, & PRINCIPE dici.
 Et verò, hâc num visa tibi sub imagine vestra
 Restitui Roma illa vetus, Roma illa Triumphans?
 Audiat excelsâ Præsul supremus ab arce,
 Orbis summus apex, tanto tam munere dignus
 PATRIUS ille tuus, plaususque, modosque canoros,

Et quæcumque solent testari maxima voces
 Gaudia ; concentus , & festos audiat hymnos ;
 Lætitiâque vias videat , ludisque frementes .
 Hos etiam modulosque meos , (quando illius altam
 Non nostrum est inflare tubam , calamumque labellis
 Imbelli terimus , meditantes grandia parvi)
 Non dedignetur , sed & auribus audiat æquis ;
 Adsit , & aspiret nostris quoque cantibus ipse ,
 Namque potest , sacer & nobis & summus Apollo .
 Et tu , R O M A , olim visa est si Turbinis instar
 Gallia nostra tuum Capitolij irrumpere saxum ,
 Et si , vel minimis excita tumultibus , horror ,
 Terror eratque tuus , Dijs quando subdita vanis
 Dux erroris eras : verum ex quo Numen adoras ,
 Et fons cœpisti Pietatis & esse Magistra ,
 Sis memor , è tenebris ut prima emersit & illa ,
 Admissâ , quâ tu fulsistî luce , benigna ;
 Et cœpit monstrata sequi vestigia , cœpit
 Ornatus simul esse tuus , Clypeusque paratus ;
 Si qua petant tela , & velox succurrere Dextra .
 Imperij nunc illa tui protendere fines
 Clasibus , & septem submittere collibus orbem
 Apparat extrellum , quò nec pervenerat olim
 Nominis aura tui , quando Dea Gentibus esse
 Terrarumque potens , geminoque sub axe volebas
 Credebâsve colî , nec nunc , quandò Orbis apertus
 Navibus Hesperijs , metas fixisse videtur
 Rimandi vteriûs . Non Regi hic terminus hæret ,
 At longè majora parat . Lætum indue vultum ,
 Et pariter gratiare , novo modò foedare juncta .
 Rebus in humanis primo contingit ab ævo ,
 Tristibus ur læta , ut lætis se tristia solvant
 Alternis vicibus . Vera est insania luctûs
 Expers lætitia ; & mœror , quem nulla sequuntur
 Gaudia , Tartareus merus est . En mutua nobis
 Lætitiae seges . Hic vultu dum Gallia læto

Ingeminat plausus , tua plausibus affonet istis
 E septemgeminis respondens montibus Echo.
 Vires nusquam alias sic experieris amicas
 Majoremve fidem , tua quā se sacra potestas
 Extendit , summiq[ue] vices ubi Numinis imples.
 Rex nobis Lodoix , quō nec Pietate , nec armis
 Est major , summusque tui qui lactis aluminus
 Rex est divini , nec degener illius hæres ,
 Qui Reges inter nostros tibi primus adhæsit ,
 Illustrique alijs exempli sydere fulsit .
 Hic est ille alto nobis demissus Olympo ,
 Artes qui dominas primis edoctus ab annis ,
 Quique reget tecum frænis communibus Orbem ;
 Hoc antiqua canunt , hoc & præsentia Fata .
 Tu donis cumulare illum cœlestibus insta ,
 Illius inque caput , claro diademate cinctum ,
 Funde , potes superi quodcumque accersere roris .






ANNA AVSTRIACA GALLIARUM REGINA MORIENS.

MORTALES inter, quaecumque Potentia, celsis
 Præfulgens titulis, tollit ad astra caput,
 Retum quam felix series, quam clarat avitus,
 Et suus, & prolis continuatus honos,
 Me videat, nostrumque nihil durabile discat,
 Nostra sciat fluxas cuncta subire moras;
 Nostra sciat cunctis subdi quoque corpora morbis,
 Haudque exortem animam tristia quæque pati.
 Tædia mille ferens, carpens refugamque, gravemque
 Me mihi, proh! languor quam diuturnus habet?
 Exhausi Medicæ quidquid sese obtulit artis,
 Et frustra indigenæ nunc peregrina subit.
 Unum est solamen, pro me tot vulnera **CHRISTUS**
 Perpessus. Regni nil decus omne juvat.
 Non, quod **J**us **T**ri **uxor L**odoici dicta, quod ætas
 Est etiam viduæ clara peracta mihi;
 Quod Nati sceptrum impubis, tot flantibus Euris,
 Sciuit inexcussum nostra tenere manus;
 Ac valido quod demum illi florensque, vigensque
 Tradidi, & est nostro parta labore quies;
 Quod venere, diu collisæ, in foedera Gentes
 Cognatæ, curis Paxque reducta meis;
 Pacem connubio quod sanxi, illudque secuta
 Quod proles, Cœlo spes cumulante, beat;

Nil nos illa juvant ; calcandaque publica lethi
 Est via ; quod cunctis , est incunda pede.
 Rex Regum , cuius Reges perhibentur imago ;
 Splendoris radii , profluviumque tui,
 O Deus , o , per te facti , summe arbiter orbis ,
 Quia me cumque vocas , en mora nulla , sequor .
 Si jubeas me plura pati , non plura recuso ;
 Pareo , si nostris meta sit ista malis.
 At aliis Numen votis adverte secundum ;
 Exaudi , fundo quas motibunda preces .
 Insontem se nemo potest tibi sistere , non , qui
 Privatus vitae segne peregit iter ,
 Rebus qui sese nullis immiscuit , uni
 Quique sibi voluit vivere , quique mori .
 Quid Reges , quorum nutu res stantque , caduntque ?
 Hoc quam sollicito plena timore via est ?
 Quae Pacis , Belli fuerint quae tempore gesta ,
 Hoc quis , parte omni , labe carere putet ?
 Non est cuncta videns oculus , quaeque audiat auris .
 Omnia : habet metas regia cura suæ :
 Has intra metas sed quam peccare cuique
 Est primum ? hic Sapiens omnia tuta timet .
 Externo bello , civili turbida motu ,
 Horret nunc animus tempora nostra memor .
 Grassari potuit quam multa licentia , torrens ,
 Fœmineaque satis non inhibente manu ?
 Illa amoliri videor voluisse nefanda ,
 Totisque adriixam viribus esse reor .
 Hic tamen addubito , num quid mihi blandiar ipsi ,
 Inque tuâ num sim luce futura nocens .
 Hoc , & nostræ omnis quæcumque piacula vitae
 Dilue largifluo sanguine , CHRISTE , tuo .
 Me tua circumdet , me Gratia vestiat , ornet .
 Unus Reginam me juvat ille decor .
 Ornata splendescam illo , ubi cum modo sistar .
 Sit mihi tunc sceptrum , sitque corona procul .

Instrumenta meæ timeo nocitura saluti;
 Auxilio nedum sint subitura mihi.
 Has inter curas, nec se materna removit.
 Non possum proliis non meminisse meæ.
 Da, Nati ut vivant fraterno foedere juncti;
 Et consanguineo, regia tota domus.
 Da, Patriæ, populique Pater Rex audiat æquus:
 Sitque salus illi publica, cura prior.
 Pacificus Salomon si non permittitur esse;
 Bellator David fiat ut ille, precor.
 Hæreat usque tibi, sit cordi Ecclesia semper,
 Nec Pietas bello, Religioque labent.
 Nec legum interea, nec recti exerceat illum,
 Quantum insana ferent tempora, cura minor.
 Militis infræni caveat ne victima prima
 Sit populus: ne sint proxima præda, sibi.
 Illis sit mitis rector, dum sævus in hostes
 Esse parat, victor dum properatue cani,
 E bellis nec bella serat; sed Pacis amore,
 Auspiciisque gerat, suscipiatque tuis.
 Imperii hæredem teneris quoque fingat ab annis,
 Cùm nondum Imperii gloria mente sedet.
 Pestis adulantum cùm nondum semina jecit.
 Occupet antè solum digna futura seges.
 Non illum erudiat sola experientia. Felix,
 Qui non tantum usu, sed ratione sapit.
 Fratres, non servos discat, quos ille regendos
 Suscipiet, fratres tu quoque, C H R I S T E, vocas.
 Evenient; plerumque etenim præsaga futuri
 Mens esse, in Mortis limine, nostra solet.
 Dixit: scque Deo rursus commendat, & offerit;
 Sedesque ad superas Mens revocata volat.



AD REGEM,

COMMERCIUM MARITIMUM
INSTAURANTE M.

CARMEN PROTREPTICVM.

Scilicet ista tuo, Rex inclyte, Gloria sceptro
 Deerat adhuc, ut quæ fuit Ægide Pallas, & hastâ
 Obsequiis devota tuis, dum Bella vocabant,
 Pax ubi juncta, eadem sub nomine culta Minervæ,
 Pectus concutiens fœcundum, accenseret artes
 Mox reliquas, nova quâ subeat tibi fama, decusque.
 Extulit illa tuos scriptis & voce triumphos,
 Assurgens nuper toto modulamine Pindi,
 Et verbis numero vincit, numeroque solutis;
 Nunc simul illa parat trabibus sudare secandis,
 Et similes Argo naves contexere multas,
 Atque operam præstare parem, quâ Typhis, amico
 Illius ductu, Æetam, Colchosque petivit,
 Et rapuit villis radiantia vellera fulvis.
 Tempestiva ausis aperit se talibus ætas,
 Dum negat externum, negat & civile timeri
 Vinclo damnatum centeno, & carcere Bellum:
 Et tua dum virtus latè cessare jubetur
 Martia; quóisque animo victrix Moderatio vasto
 Præscripsit fines, illis se continet ultrò.
 Jam pacata tuo sub Numine cuncta quiescunt.
 At, Bello fessus, populus quoque victor anhelat,
 Procubuisse videt fractis dum viribus hostem,

Quassatas simul ipse suas reparare laborat.
 Interea non officio, Rex maxime, non tu
 Quid pateris studio, vel amori deesse paterno.
 Quod regis Imperium, quod torques omnia nutu,
 Exhaustum tecreas apto moderamine Regnum
 Rexque, Paterque simul, curaque fovere benigna
 Non cessas: intentatum nihil ipse relinquis.
 Nam quae cura magis possitue juvare medela,
 Privatas vires quam cum regalibus auges
 Viribus, & toto Regni te corpore miscens
 Mercatorum ausis ades, atque haec numine firmas,
 Prælucésque fide, & proprio spes erigis ære?
 Nec Majestatem studio quis dixerit illo
 Deprimi, & hoc summi demitti culmen honoris.
 Mentis opumque potens Salomon quod scilicet auro
 Alta Palæstini laqueavit culmina templi,
 Alta Sionæi struxitque Palatia Montis,
 Queis inhians hæsit dubius spectator, an ulla
 Tum sylvis arbor superesset, marmora terræ,
 Marmora diversos referentia mille colores,
 Punctorum innato distinctos rore minutim,
 Undatim crispos, in sparsa volumina fusos?
 His illa adstupuit terra Regina Sabææ,
 Non secus, ac si fortè novum migrasset in orbem
 Sole micantem alio, Solisve fuisset ad hujus
 Fulgentes radios cæcis educta tenebris.
 Unde illæ educi potuere ad sydera moles
 Tam celsæ, tam magnificæ? fulvi unde metalli
 Copia tunc lapidum Solymis excreverat instar?
 Nimirum Salomon, missis Mercator ad Indos
 Navibus, illam auro celebrem penetraverat Ophir;
 Quæ tibi nunc, facilisque magis, se præbet habendam?
 Nec rem Romanam terrâ, pelagoque vagata
 Bello auxere minus Commercia. Punica sese
 Afferuit pariter, studioque evexit utroque.
 Mitto exempla, oculis quæ præsens ingerit ætas,

Sotdebit Regi gazæ sarcire ruinas
 Mercibus advectis , terrâ , pelagoque redemptis:
 Magnificum dici contrâ , poteritve decorum
 Immundo è lotio , Princeps Romanus ut olim ,
 Aut plebe ex humili , misero ex olitore , parare ?
 Aut deceat , veluti * Byzantius ille , superbo
 Mercaturæ odio , in populum sœvire rapinis ?
 Quis credat : more hîc certè nec vivitur isto ,
 Nec sunt illa , & præcipue te Rege , timenda.
 At sileamne , tuus certare & vincere tecum
 Qui solitus miles , vitâ ut malè deside languet ?
 Otia ferre nequit. Quærat trans æquora sedem
 Pars tranquilla minùs : quærant feliciter illic
 Divitias , quibus hîc meritas Fortuna negavit
 Adversa , & quorum decepta industria fine
 Excidit optato ; fortunatique laboris
 Materiam quærant , qui nullam hîc esse queruntur.
 Nec portus patiare aptos , quos commoda finxit
 Natura inumeros , fidosque vacare recessus :
 Vel cessare , quibus fervent tua littora , nautas
 Audacis doctos moderati fræna carinæ ,
 Externisque locare operam , dextramque coactos ;
 Quando domi non materies est ullâ merendi.
 Ceteraque ut taceam : quâm rebus idoneus istis ,
 Quamque opportunus , clarus probitate Minister
 Ille tuus , cuius tam nota industria , cuius
 Tamque tibi , populoque fides , virtusque probata ;
 Illaque tot superans tam rara Modestia dotes ?
 Uttere quo , sub te , gaudebunt auspice cuncti ;
 Totiusque rei da jus , regimenque parandæ .
 Non est ille Dei concessus munere frustra ,
 Consilium dum mente agitas , dum concipis istud ;
 Sperandumque hinc se felicior exitus offert.
 Quod Regno est reliquum , bellisque superfuit aurum ,
 Quod tibi , privatos populi quod restat in usus ,
 Quidquid opum superest , maneat populoque tibique .

* Theoph. Imp. Conf.

Suppleat interea defectus Thetis , & illos
 Artibus innocuis externa resarciat ora.
 Huic certe curæ jam prælustrissime videris,
 Grassantem pelago pestem , Piratica longè
 Arma fugans , portusque ipsos latebrásque sinúsque
 Mox scrutaturus , Prædones viribus illos
 Insectans geminis , duplice indagine cingens,
 Ut Matis , & Terræ , geminæque animalia vitæ.
 Nec debet nobis Dunkerka recepta sileri,
 Quâ fuit Oceanus nostris pacatus in oris.
 Hoc unum doleo , quod jam disclusa patescunt
 Orbis claustra novi , quod jam patientia juris
 Externi vinci non te didicere Magistro,
 Quodque Hispana prior perrupit , & Anglica pubes,
 Quodque Batava. Sumus nos & cum laude secuti,
 Privatis sed tantum opibus , tenuique paratu ;
 Unde nihil gestum Gallorum nomine dignum
 Huc usque , at præsens illud sibi vindicat ætas
 Te felix regnante. Alius sit nobilis Orbe
 Invento , & clarus reserato ; Maxime Regum;
 Ille tibi præreptus honos , & Gloria certe est :
 At servant tibi Fata finis penetrare remotos
 Longius , extra Anni solitos , Solisque meatus,
 Prævectasque illas jam mox prævertere puppes,
 Et tardam pensare moram leviore volatu.
 Auspice te , ignotis florebunt lilia campis,
 Quæ veterem jam latè olimdiffusa per orbem,
 Huc totius opes Orientis , & ultima Galli
 Regna trahi cernent , intusque , forisque beati.
 Necnon & C H R I S T O Gentes lucrabimur illas,
 Miscentes pariter commercia sacra profanis.
 Quid loquor ? Illa tibi prima est , & maxima cura,
 Cum Reges inter Fidei sis primus alumnus,
 Et Pietas sacro stimulet te propria motu.
 R O M A , triumphales & tu , sine parte pericli,
 Decerpes lauros , peregrinâ ornabere palmâ :

Et, quæ te spectat, largè ditabere merce?
 Unde, memor meriti, Gallorum disce vicissim
 Devotum amplecti studium, cultumque fovere;
 Æternisque recens fœdus transmittere sœclis.

Talia fatidico nuper, Rex magne, canebat
 Ore tuus, nec tum certè fine Numine, Yates.



AD GALLIAM.

*De vietto à Regiis eopiis Turcâ, secutâque
 inde Germaniae Pace.*

CONSCI A virtutis, palmâque decora recenti
GALLIA, Pannoniisque modò subnixa Trophëis,
 Tot tua quæ cumulant jam totum erecta per orbem,
 Celsa incede, polum cognato vertice tangens.
 Digna potest, meritis quæsita, Superbia sumi,
 Invidiâ major cunctis dum Gentibus extas.
 Agmina quanta manus fudit quam parva tuorum.
 Auxilio veniens in **CHRISTI** nominis hostes
 Germanis Aquilis, fractâ languentibus alâ,
 Et visum à Lunâ refugo torquentibus ore,
 In Solem niti ardentem quæ posse feruntur,
 Hisque exploratos radijs agnoscere pullos?
 Nec quemquam incuso: potuit qui maximus, ardor
 Obstirit adversus; contra stetit aspera virtus
 Austriadum, fato tantum minus usâ secundo;
 Ast animis Fortuna tuis est jussâ favere:
 Illi vim fecit tua vitæ prodiga pubes.
 Hostis per te hæsit præceps victoria solam;
 Jamque refert longè versâ vestigia sorte.
 Post illos vastæ cumulatos stragit acervos;

Quos tua dextra dedit memorandi ad fluminis oram
 Sanguine quod tumuit fuso , turbaque cadentum,
 Cœpit mox fluere , & retrò sublapsa referri
 Spes inimica omnis, toto & nunc cedere campo,
 Inq[ue] Asiam , Phariaque sinus , latebrasque paludis
 Vis Turcarum ingens parat illa accisa revolvi.
 Qualis , contuso spiras qui corpore necit
 Nequidquam immanes , cristaſque arrigit iras
 Vana minans serpens , trahit ægram faucis alium,
 Speluncâque cavâ languentia ſibila condit,
 Implicat aut sylvis moritura volumina notis.
 Talis & ille modò sua ſeſe in luſtra receptat.
 Suntque hæc gesta tuæ quam parvo robore Gentis;
 Rebus quæ fractis , & jam labentibus una
 Restitit , effuso volitantes turbine flamas
 Extinxit , latè populantia funera ſistens,
 Urbibus & cives reddens , agrisque colonos?
 O ſuperi ! Quid tuni? toto ſi corpore Regni
 Certaſſes? Quid , ſi teneris Rex victor ab annis;
 Herculeā qui monſtra manu compressit & infans,
 Quō tremuit naſcente feri Thressa Aula Tyranni,
 Et ſeptem movit ſubita formidine Turres,*
 Stans acie in primâ ſi ſe talem ipſe dediſſet
 Cernendum , qualement ſeſe Mars arduus infert
 Et quantum , Belli Præſes , Numenque tremendum,
 Si quando excitas trahit ipſe ad prælia Gentes?
 Absentem nec non hîc tangit Gloria Regem
 Maxima. Pugnavit fato ille & nomine magno,
 Terrore auditum ſubito quod perculit hostes;
 Ipsi manu certasti , utens felicibus aptè
 Auspicijs , fœcundâ animos ab origine ducens,
 Regis ab Exemplo , teque , & tua caſtra ſecuto.
 Nec multum juvet ipsum hostem Pax ista bilistris,
 Hæc concessa brevis requies , ſpatiumque dolori,
 Nescit supremæ nescit præludia cladi
 Iſta viam ſtraviffe ſuæ , infestoque cruore

* arx Constantinop. dicta ſeptem Turriu[m].

Imbutos Gallos mox asperiora patare.

Acer, acerba mihians, rutilis modò fulminat armis,
Horrificisque ingens REX detonat ipse ruinis,
Odrysios penetrans fines, Hellesque recessus,
Prædonisque domum lunati à stirpe revellens.

Evenient. Non hæc frustra mihi dicitur Apollo.

Interea, cùm sit partis divesque, potensque
Jam satis, & Regum cedat (fas dicere) nulli;

Tradita Majorum manibus, propriâque recepta,

Splendidiora facit, Pacis mille artibus, æquo

Imperio, legum placido moderamine, Juris

Arbitrio. Nec sit quærendi Gloria major,

Quam servandi, æquos supraea potentia fines

Dum patitur, dum REX Justi se legibus arctat.

Solis utramque domum nova jam Commercia lustrant

Illijs auspicijs, ejus sub Numine. Sicque,

Viribus innocuis, experteque sanguinis illâ

Militiâ, armatâ tantum ad jus fasque tuendum,

Vimque repellendam, quidquid complectitur orbis

Sortis erit nostræ. Demum è meliore metallo

Formantur nobis sub tanto sœcula Rege,

Qui scit se ditem non posse, nec esse beatum;

Si solus; populi si sit Regnator egeni,

Si miseri; Regnum si non ditatque, beatque.





AD REGEM.

De Erfordiâ Archiepiscopo Moguntino fæderato, Regiis armis vindicata, & restituta.

QUID majus conferre potest victoria votis,
 Aut armis, Rex magne tuis? hærere solebat
 Indivulsa comes, rapidis nunc prævolat alis,
 Terroremque Tui juncto præmittit amore.
 Urbs se legitimi subducere Principis ausa
 Imperio, socians contractas undique vires,
 Multa movens, majora parans, quô tota tumultu
 Cooperat involvi, bellis G E R M A N I A quamvis
 Fessa tot exhaustis, festino cardine portas
 En aperit, falsere tuis ubi lilia signis.
 Victorem admittit Dominum, tibi foedere junctum,
 Cujus in auxilium venisti assertor amicus,
 Estque tuum Numen posito confessa furore.
 Quid tu, post illam Belli, R E X inclyte, molem?
 Est tibi palma satis, palmæ das carpere fructus.
 His longè absimilis, qui vertunt perfida demum
 In Socios tela, atque ipsos, vîtricibus armis
 Quos juvere, premunt: communi Marte recepta,
 Aut quæsita simul, privato, ut propria, jure
 Ad se devoluunt. Vindictæ cæcus amore
 Talia fertur Equus, sapiens ut fabula narrat,
 In vanum nec siæta jocum, perpellus ab hoste
 Cùm vîctus, quô victorem mox subderet ultor,
 Auxilio subeuntem hominem, socia arma moventem,
 Excepit dorso imprudens, & fræna momordit,

Cogitur & duris jam tum parere lupatis;
 Exitus ille frequens externa carentibus armis
 Contingit. Nulla est ætas his visa carere
 Exemplis; tulit & nostrum quoque plurima sæculum.
 At, PRINCEPS, hic te mirer, belline laborum,
 Justitiæve prius, fideique, & in hoste probatæ,
 In Sociisque sacræ? Numquam majore coruscat
 Luce supremus apex, nec robore firmior ullo
 Stat sceptri sublimis honos, quam foederis usu
 Illibati, haec si constat de Principe fama,
 Sola sibi ut reputet quæ justa & recta licere.
 Regum illustre decus, jam te haec cœlestibus æquat
 Gloria, & est omni sublimior una triumpho.
 Pax tibi materiam feliciter abnegat omnem,
 Palmas unde novas quæras, superesse metenda
 Semper at una potest, ex tæque parabilis ipso.
 Quis credat? Non vana fides: nam quilibet in se,
 Cum quô certet habens, plus quam civilia sentit
 Intus bella geri, vi quamquam victor apertâ
 Jura det immensis latè tertæque, marisque
 Tractibus, ipsum etiam sub leges miserit orbem.
 Te memor esse hominem, prudens hinc te omnia nosti
 Posse humana pati, curâ & versaris in illâ,
 Ipse tibi imperitans, animumque domando, sinistra
 Si qua vel ambitio, vel habendi devius ardor,
 Aut famæ aut laudum premat immoderata cupido.
 Te superis, mortalis adhuc, sic inseris astris,
 Sic tibi vera subit quæ Gloria vivat in ævum.
 Te tua nota fides, Sociisque parata juvandis,
 Constituunt communem aram, portumque fidelem
 Jactatis; nec spes ullum frustratur inanis,
 Dum cunctis Sociis, vel quereris Arbitrè, esque
 Clarum illis in Pace decus, tutamen in armis.
 Perge, replens orbem meritis, ac parte fruatur
 Interæ poriore tuum, Rex inclyte, Regnum.
 Expilatorum postquam est vacuata Charybdis,

40

Illorumque rapax jam cuncta reglutinat unguis,
Instaurasti amplum Pacis , Commercia , fructum ,
Unde frui jam magna datur , majora parantur ;
At superest , cujus plures è divite venâ
Effodiantur opes , agrorum cultus , & ipsos
Agrorum pariter foveat quæ cura colonos .
Huc oculos flecte , hanc etiam , Rex , aspice partem .
Laus intexta tua splendescat & ista coronæ .



AD



AD REGEM,

POST EXPEDITIONEM BELGICAM.

E PINICIVM.


Armisonæ demessa tibi , Rex inclyte , laudis
 Et famæ quando poterit satis ampla videri ,
 Sæque opulenta seges : quando satis alta trophyæ ,
 Quæ cumulata ipsi jam Cœlo proximus æquas :
 Mitia succedant operosis otia curis .
 Cinge illustre caput mixtis quoque floribus , illâ
 Cum victrice tuâ , sæclisque superstite lauro .
 Pieris etiam , pacata sonantibus , aures
 Indulsisse modis fertur post prælia Mavors ,
 Imbellique choro semotâ interfuit hastâ .
 Sic tamen imbellis non est chorus iste , canendo
 Quin potius bello validâ sit voce , tubâque
 Utilis , & partas prohibens marescere palmas .
 Nullo sic gaudet celebrari Gloria cantu :
 Sæcula non aliis tranat feliciùs alis .
 At neque sic gestir chorus hic resonare , chelynque
 Tendere laude aliâ , quâm quæ tibi debita , justo ,
 Magnanimoque simul , vites qui jure coërces ,
 Et sola admittis , quæ rectum indulget & æquum . ¶
 Non te Martis amor fas ultra , ejusque secundus .
 Prolicit eventus , non te juvenilis adurget
 Impetus ; at de te pariter , déque hoste triumphas ,
 Ac prior est , ipsum tibi te victoria subdens .

D

Hoc te p̄cipue quām Justi finibus arctas
 In bello : quām non Divūm hoc sine numine patras:
 Nempe hostili animo non est tibi Belga petitus :
 Tantū dotali tibi jure reposcitur , armis
 Juris in auxilium , ratio quæ extrema , secutis,
 Jus placidæ quando non extorsere priores.
 Inter ea mitis vincens , victorque , cruentam
 Quantocumque potes refugis moderamine palmam
 Non prius aggressus , quām post monitūsque , m-
 násque ;
 Utque tuis , etiam mox inter prælia parcens.
 Incolumis Tellus , tua quæ jam jámque futura,
 Servatur , quæ mox ditioni accedat avitæ.
 Cūmque tot exhibeas animi monumenta benigni,
 Qui nondum est vietus vietiis penè invidet , aut se
 Tali casurum sub dextrâ haud præcipit ægrè.
 Quare & devictos patriis amplecteris ulnis,
 Non domino premis imperio , sceptrōque superbo.
 Sic , Justum , & fortē dum te , Rex inclyte , præbes
 Quid mirum , si cœlestis tibi militat aura ?
 Omnia si cedunt : servarisque ipse periclis
 In tantis , quibus heu te offers animosior æquo,
 Communis nimirū propriaeque oblite salutis :
 Invenit heu tandem casus , quem s̄epius errans
 Præteriit. Quam cæca fidem fors ista meretur ?
 Quà latè imperitas , gelidâ formidine cunctos
 Percellit tuus ille (ah sit fas dicere) promptus,
 Atque frequens nimirū , per tela adversa , per ignes
 Eruptens , primique avidus discriminis ardor.
 Subdita nec solū tibi Gens , Europa sed ipsa
 Tota timet , timet & Christo Gens subdita tota.
 Viribus Imperii nimirum & mente manūque
 Præcellens , ut qui suprema ad cuncta vocatis,
 Crederis Odrysiae franges qui cornua Lunæ,
 Amplecti totum quibus illa enititur orbem.
 Jam Cretæ ferus ille hostis dudum incubat , unde

Belli mole gravis pelago decurrat aperto.
 Unum te spectat labor iste , & Gloria summa,
 Imperium Christo ut reddas , & victor eodem
 Componas orbem sub cultu , ac lege sub unâ.
 Magnæ molis opus ; gressu sed Filius æquo
 Ibi & ipse comes , quem par suscepit aluminum
 Audaci Bellona sinu , vagitibus iram
 In primis acuens generosam , & Principe dignam
 Christicola. junget primævam in prælia dextram,
 Cui tandem cedes Terratum serus habens;
 Tradideris cùm digna illis præcepta regendis,
 Attis norma ipse , exemplum Regisque , Ducisque.
 Vera cano , falso nec ludor Apolline vates.
 Nec non ipsa fidem faciunt tua gesta , Juventæ
 In flore , & Belli jam parta scientia , quantam
 Vix alius quivis longo paret impiger ævo.
 Nota fidem faciunt etiam præludia , vinci
 Hostis & ille idem Germanâ nuper in orâ
 A Te cùm didicit , supremaque damna timere
 Gallorum à dextris , dicunt ut fata minari.
 Tantis te serva , REX invictissime , rebus.
 Interea ne , BELGA , bonis communibus , at nec
 Ipse tuis obita ; nec vi , Jurique repugna.
 Vitam cum Gallis jam nunc ordite beatam.





AD REGEM,
ADORNANTEM SECUNDAM
IN BELGIUM EXPEDITIONEM.

CARMEN PROPEMPTICVM.

AUspiciis utens felicibus, omine fausto,
I, REX, quò te animus, certaque jura vocant.
Nil reliqui privata fides, nil regia fecit.
Publica, quam licuit, conciliata quies.
Quid non tentasti? vel iniqua ad fœdera promptus,
Tantum non supplex cuncta subire parans?
Hoc tua vota magis sese arctavere modesta,
Arma triumphanti quo tibi plura dabant.
Cessisti victor. Serta inter laurea, Marti
Est permissa tuo ponere jura Themis,
Cui pariter cum se fractus nec subdat Iberus,
Perge; favent causæ Mārsque, Themisque tuæ.



AD GALLIAM.

*De expeditione in Sequanos , à Rege , hyberno
tempore susceptâ , & intra paucissimos dies
felicissimè confectâ.*

E P I N I C I U M .

HEROVM fœcunda Patens , orbe inclyta tota
Gallia tot sæclis ; si desit adorea forsitan
Villa tibi , si vota potest tua Gloria nondum
Impletæ , en cumulus tandem superadditur , unde
Altivolâ Famæ veheris super æthera pennâ.
Affulget lux nempe tibi clarissima , Magnus
Quâ Lodoix , post hyberni discrimina Martis .
Intentata aliis , Naturæ victor & hostis ,
Præcipitique trahens cuncta adversantia casu ,
Sequanici retulit decus immortale triumphi .
In majus celebrata ferant licet omnia vates ,
Pat veris toto nihil hæc tamen ore sonabunt ;
Explicit virtus adeo se bellica quævis .
Non hæc cunctator Fabius , prudentia quamuis .
Sit Fabij , rerum pensans , ut & illa solebat ,
Consilioque regens apto momenta , sed acri
Hæc magè judicio , & figens libramina nutu .
Lenta cito , nec tunc à metâ devia , verum
Et certo longè disponens cuncta futuro ,
Mutandis , rerum ut series mutatur , habenis .
Bis quinque res hæc omnis transacta diebus ,
Prætereunte manu ; nec pars subducta procellæ

D iiij

Est ulla. In subitas acta est Provincia leges
 In mediâ quæ pace pari vix posset obiri
 Tempore ; præpetibus vaga sic Victoria pennis
 Visa præire , viam charo sic stravit alumno.
 Quis timor ille tuus brumali sydere quando?
 Palmatum messem L o d o i x egressus ad illam
 Algènti proiectus equo , nihil ipse timebat,
 Omnia nempe animo secum ante peregerat Heros
 Impavidus , promptusque pati , jam cœpta molesti
 Quidquid habebat hyems , & quæ graviora parabat
 Acrior , ut perhibent , vis est hyberna leonis ;
 Acrius in prædam brumali tempore fertur.
 Incedit magis ille nives furiale per altas,
 Nec nimbos curans nec frigora , colla pruinis
 Hirta licet rigeant , & stringat stiria setas.
 Talis grassatur L o d o i x , calcatque terendas
 Vix æstate vias , subitos contentus in armis
 Delibare cibos , & raptos carpere somnos.
 Vile tropæum illi , quod non erexerit horror
 Prævius ; est humilis , quem non labor ante paravi,
 Et plebeius honos ; est hæc mensura decori.
 Quid non proturbat generosæ hic Martius iræ
 Impetus ? immanni quamvis adamante rigentes,
 Intremuere ultro , & visæ se pandere portæ.
 Turribus invalidis visi procumbere muri
 Plerique , ast alios fulmen dejecit ahenum,
 Excidoque moram non ipsa undosa tulere
 Flumina , præruptas etiam superantia ripas,
 Non latè stagnante palus innabilis unda,
 Limoso male fida solo , non quidquid ubique
 Natura opposuit , quodque illi accessit ab arte.
 Nec tamen hic fileam , quam belli hæc fulmina torsit
 Invitus , renuit , dotalia jura reposcens,
 Expectansque , animus dum detumusset Iberus,
 Sed frustra ; affuetas etenim conversus ad artes
 Effugiis Regem sic duxit inanibus usque,

Esset ut imbellem mora lassatura , senémque?
 Bellatorem at qui poterat , juvenémque morati?
 Nec tamen hic , Bello cùm sese accinxit aperto,
 Arnis , fas ultra , voluit properantibus uti.
 Sorte in proclivi victor stetit arduus , æquo
 Dum subdi velit ipse hostis , foedusque pacisci
 Quale etiam salvis poterat modò rebus inire.
 Non aliena cupit , nec se jus provchit ultra
 Cui tellus sua visa satis , quæ possit & ipsum
 Pellæum Juvenem cohibere ; hâc seque beatum
 Crediderit metâ , cui non sufficerit orbis.
 Bellipotens quamvis LODOIX , animoque , manûque
 Illum Pacis honos , & non violenta potestas ,
 Et populi secura quies , quæsitaque regno
 Otia , & innocuum placidè demulserit ævum .
 Jamque etiam non ille putat sibi cuncta licere ,
 Quæ lubeant. Cælo novit parere , Deoque ,
 Quo minor est uno , cui laus parere suprema
 Regibus est ipsis , & Regni subdere fræna.
 Fortunam ratione domat : norma illa , modûsque
 Talem fata diu servent , & stamina Parcæ
 Aurea tam charæ persistent adducere vitæ.
 Interea nobis , & nostra in jara vocatis ,
 Moxque vocandi etiam simili qui jure supersunt ,
 Invideant reliqui , felix degentibus ævum ,
 Et sis Alcyonum tranquillus , Gallia , nidus .





AD GALLIAM.


DE PACE GRATULATIO.

ORBI S honos, Divum terrestris, GALLIA, sedes,
 Quæq; seges laudum semper focunda recentum;
 Victricem qui te cecini, palmisque decoram.
 Innumeris, sub Rege, armis, animisque potente,
 Æstiva hybernis etiam cumulante trophæa;
 An, cùm palmarum cessat tua bellica messis,
 Et bello cùm parta quies, hoc ipse quiescam
 Segnius, & Musis indicta silentia nostris
 Esse putem? superest longi quoque carminis ordo,
 Splendor, eritque suum Paci decus, æqua futura
 Gloria, præcipue quando hoc Clementia bellum
 Composuit, placuitque hosti ceu parcere civi,
 Ostensumque satis, posset quid Martia Regis
 Dextera, consiliis gravi di quid pectoris ardor.
 Fulminum nuper LODOICUM senserat hostis,
 Multatus magnâ ditionis parte, lacérque,
 Atque hinc ægra trahens claudio vestigia gressu.
 Tantam post cladem quis nunc erat ille futurus,
 Adversus numerosa magis jam signa moventem,
 Agmina ducentem tot secum assueta triumphis,
 Et modò Sequanico, vires augente, superba?
 Non Iber, aut illi se Belga impunè tulisset
 Obvius, aut muris esset tutatus ahenis.
 Omnia cedebant, medium ni se ille dedisset

Christiadum

Christiadum Pater , ille Dei sacra scepta , vicesque
 Qui gerit. Hic omnis cecidit mox impetus , estque
 Herculis è manibus tum clava excussa ; subire
 Nempe coacta fuit placitam Victoria legem ,
 Et Pacis tantus nil non tulit ille sequester ,
 Tam propriis meritis , sacro quam munere summus .
 Longè tunc certe poteras pretendere fines
 Marte favente tuos , & justæ vindice causæ ;
 At , quæ Pacis amor voluit de jure remitti ,
 Illa bonus Pacis jam mox suppleverit usus .
 Ampla satis tua se , nullius & indiga , pandit
 Jam dñio , totique pates spectabilis orbi ,
 Nec par Sol regnum speculatur ab æthere ; verum
 Quim recte , non quam latè regnetur , honori
 Dicitur id summo , Regumque hæc maxima cura
 A Jove natorum , quorum est cœlestis origo .
 Felices faciunt populos , satisque inde potentes
 Séque , illisque putant . Hæc illis regia virtus ,
 Hic celsus laudum vertex , titulusque supremus ,
 Ad proptium ne cuncta bonum , vel commoda vertant
 In sua , privatæ solùm servire jubentes
 Cuncta voluptati ; at norint se publica natos
 Procurare bona , & curam moderaminis illam
 Esse sui , officio jussum illo & munere fungi
 Moliri dextrà quisquis regni audet habenas .
 Solliciti certe , non est vita illa beati ,
 Otia quique trahat segni marcentia luxu .
 Oblitum decet esse sui , qui publica curat ,
 Quique aliis vivit , quem fata aliena , salisque
 Distendunt ; Rex est , & servus splendidus idem .
 Talem se spondet Lodoix , talisque videri
 Jam voluit , talem & primis miramur ab annis ,
 Assumentem etiam fidos ad tanta Ministros .
 Omni sed nondum potuisti ex parte beari
 GALLIA , ad invidiam jam famâ , & nomine quamvis .
 Molis nempe illud magnæ est , longique laboris ,

Demum & Pacis opus, longo quoque tempore firmat
 Et quæ per multos florens adoleverit annos.
 Constant è multis, & magno magna parantur.
 Non Terram à primâ fœcundat origine rivus.
 Non, sata cùm primùm, frondet vel parturit arbor.
 Non umbrâ recreat, nec fructu pascit amoeno.
 Nec, cùm cœpta jaci Luparae fundamina, molem
 Crevere in tantam subito, miracula possent
 Ut dici, prisco quæ nullum æquaverit ævo.
 Fundarunt Reges alij, nunc perficit iste,
 Ac longè in majus. Sic progredieris eisdem
 Ipsa sub auspiciis, magis hoc sub Rege beata.
 Quid non speretur sub Principe, vivida bello
 Cui si dextra, tenet Pacis non segnius artes,
 Exercere etiam mediis nec destitit armis?
 Artibus ingenuis sumptus impendit alendis
 Non minus, & cultæ sunt hoc quoque tempore Musæ.
 Sunt & vastæ operum productæ ad sydera moles.
 Urbs, caput Imperij, vario est ornata decore,
 Et contra cæcos noctis munita furores.
 Sed nec in armorum siluit Lex ulla tumultu,
 Intensæ potius vites. Jam quanta secandas
 In lites cura? ut tricæ, nodique soluti?
 Instaurata mari gemini commercia mundi.
 Ars, peregrina priùs, nunc facta domestica quævis.
 An sileam Turrim, quam Munificentia Regis,
 Ipsum admoturam cœlum, speculantibus astra
 Excitat, humanis ut nil jam obtutibus obstat?
 Deficiam numerans. Sed quantò & plura supersunt,
 Hujus quæ Pacis fructus, mercésque parantur?
 Uno cuncta tamen complectar, GALLIA, verbo;
 Felicem, vota & supra, te crede futuram.



AD DIVAM
GENOVEFAM.
PRO RESTITUTA REGINÆ
VALETUDINE,

CARMEN EUCHARISTICVM.

Ela animis recreata novis, & læta resurge
GALLIA: vicerunt tandem tua publica vota,
Communesque preces, & jugibus astra querelis
Lenta fatigantes. Vicit Rex vincere doctus;
Non quibus est solitus, flamمام vibrantibus armis
Acer fulmineis, & luce coruscus ahenâ,
Horrendumque minans; sed inermis, supplice dextrâ,
Atque aris mœstè acclinis, Cœloque decentes
Offert dum lacrymas, augusta per ora volutas.
Hic sunt illæ hominem fassæ, nec defuit Heros
Interea, nec digna minus fecitve, tulitve,
Quâ se cùmque viâ pectus laxaverit ægrum.
Ecquid eniā, aut de quô nequiit causa ista mererit?
Debuit hōc etiam pretio constare petita
Reginæ nobis, dilectæ Conjugis illi
Tam pretiosa salus, Cœlo extorquenda moranti,
Dum riguit precibus visum obsurdescere nostris,
Ingeminare minas, ægræ inglomerare dolorum
Noctem funereum, vitæque extrema ciere.
Quid non tentamus? Quæ non ad Templa frequentes
Tum rapimur? vel quæ Pietatis munia cessant?
Et quæ non fervent nostris altaria votis?

E ij

Proh dolor ! at frustra. Tandem , GENOVET A , locat u
 Spes in te tota , inque tuo suprema favore
 Anchora jacta sedet. Patrona vocaris & urbis,
 Et regni , voces audis Patrona Clientum,
 Et summum gemitus ad Numen sedula defers.
 Tum subito renovata virent quæ fata parabant
 Rescindi , à morbo decerpta revolvitur ætas.
 Aurea pallenti supplentur stamina vitæ,
 Et quæ sufficiente numerosæ plurima proli
 Semideum , quorum hinc longus promittitur ordo;
 En illa insignis formæ R E G I N A decore,
 At magè virtutum , & dono acceptissima Pacis,
 Quam cum dote tulit , servatque à Conjugè tutam,
 A Patre illæsam , patiter Sponsique , Patrisque,
 Nec non Gentis amor Francæ & communis Iberæ,
 Munere vel servata tuo , vel redditæ , quando
 Nulla videbatur jam spes supetessæ salutis.
 Reges , Regna tibi Francorum , & subdit Iberum,
 Communis quia nempè salus debetur in unâ.
 Gratia tanta manet nullo delebilis ævo,
 Dum stabit cœlo Res æquans Gallica famam,
 Inclita Borbonidum soboles dum regna tenebit,
 Borbonidumque decus L O D O I X & Gloria præsens,
 Qui nunc sceptra regit , reget & virtute nepotes,
 Signabitque viam exemplo , vitæque peractæ
 Splendore , æternos quæ nunc præfulget in annos,
 Cùmque jubat toto vix est oriente reiectum.
 His ille ingressus spatiis. Tu , D I V A , vocari
 Gallorum votis jam dudum assueta , favensque
 Assidue , cursum vitæ moderare beatæ,
 Avettens Capiti quæcumque pericula sacro,
 Plutima quod cinxit clarâ Victoria fronde,
 Splendidiora patans attexere multa , triumphis
 Et veteres cumulare novis , cùm jure licebit,
 Illorum cùm digna seges , cùmque offeret ampla
 Se messis , poterit cùm recti assertor & æqui,

Et potior Bello renuet Pax ipsa videri.
 Interea Regni placidâ sub Pace beandi
 Dulci gaudebit curâ , studioque teneri.
 Tu, nostros quæ fovisti , Magnosque , Piosque
 Præteritis Reges sæclis , charique vocatos
 Delicias populi , & quorum sub numine felix
 Orbis ad invidiam reliqui , divesque , potensque
 Gallia visa fuit ; meritorum hinc felige flores
 Eximios omnes ; Et si quid amabile noris,
 Deficiens isti (quod vix rear) adde coronaæ.
 Ex quô dudum Urbi dignaris , D I V A , præesse ;
 Et Regno invigilas , Cœlo sublimis ab alto,
 Non juvenile caput stellantior ambiit orbis
 Virtutum ; primo non sic splendore resulfit.
 Regale ad solium dotes , ad scepta tulisse
 Majores visus tibi tot per sæcula nullus ;
 Nullus festinâ sic mente , & corpore digno,
 Äquævâ est totus cum Majestate creatus.



A D R E G E M,

*De Isthmo in Narbonensi Provincia perfodient
do, ut ex utroque Mari Commerciū
in Galliam influat.*

QUAM jam finis erit? quæ tandem meta laborum
Ultima: Quando frui partâ patiere quiete,
Inlyte R e x , alia ex aliis miracula necens?
Nunquam defessum per te, quâ Gallia Pace
Nunc fruitur, poterat felix sat cuique videri,
Non est visa tibi. Paci commercia jungis.
Nec veteres das posse vias excurrere tantum;
Das aperire novas, & quas Natura negat,
Arte facis, Gades alias, aliasque Columnas
Herculeas referans, facilis quas permeet alnus,
Et ludens remis, & amoenâ leniter aurâ.
Pervia regna facis ponto (quis credat) utriques,
Eoæque jubes undæ, occiduæque patere,
Fluctibus admittant ut ditibus undique merces,
Contracto & cursu, cùm nunc erroribus illas
Circumagat variis longum maris æquor arandum;
Humida sed poterit mox tendere brachia Nereus,
Et fessis præbere viæ compendia Nautis,
Nunc ubi plaustra, Boum validâ cervice, trahuntur,
Sulcabuntque rates, quod nunc grave sulcat aratum;
Maurorum infidias taceo, quibus ambitus ille
Nunc opportunus, Pacem nam vitibns orant
Jam per te fractis; nihil hâc ex parte timendum;
Commoda sed dignè celebrem quô cætera versu?
Meque silente, cui non & satis illa patebunt?
Non dispar tentatum aliis molimen in oris,

Ut portentosum stupuerunt secula , vires
 Ut longè humanas superans , poteritque videri
 Inferius , R E x , esse tuis. Nempe illud amore
 Aggrederis populi , non ambitione superbâ
 Vxianoque tumens fastu , dicique Prometheus
 Qui cupias alter , divinorum æmulus autor,
 Aut ut Mundi opifex in stauratorve secundus.
 Summa licet spires , stat sine Modestia justo,
 Officiique tui pars est conamen & istud,
 Pars est iste labor , spectat dum commoda Regni,
 Cui servire & tu , cuique invigilate juberis,
 Visibilis partes nimirum hic Numinis implens.
 Quis ferat has tenues angusto in pectoro mentes,
 Quæ censem in Naturâ nil tale novandum
 Nec debere homines tantum sibi sumere juris ?
 Finibus esse suis Elementa ab origine primâ
 Circumscripta , reos in jus nunc jure vocari,
 Qui septum hoc temerent , agnata repugna laxent,
 Claustraque ? sed quanto digna hæc censura cachinnor
 Damnent audaces simili ratione colonos,
 Longè devectas quando sitientibus aruis
 Immittunt undas , per ductos arte canales.
 Damnent areolas olitores amne rigantes
 Arte propinato , recreatas molliter herbas
 Ut possint , foetuque graves educere plantas.
 Magni , jure pari , derivant æquora Reges,
 Cùm juvat , est illis , olitori ut rivulus , æquor,
 Areolæque instar vasti Provincia Regni
 Quælibet. Has æquor spatiis interluat amplis,
 Illas dum sulco tenui qui permeat hortos
 Rivulus exiguos secat hic , hic flexibus ambit.
 Naturam tantum non ars imitatur , at illam
 Perficit , ac superat , cogi & si quando repugnat
 Asperius , ducit , viresque latenter ab illâ
 Mutuat , inque ipsam. Privata , & publica solæ
 Comoda non pariunt vires ; Industria certè

Quærit & illa magis, quæsitaque promovet ultra.
 Multa etiam nostro vult Natura ipsa labori
 Debere. Eluvie stagni, foedæve paludis
 Exhausta, cultum quam nostrum admittere gaudet
 Finitimis quid non debet (fas dicere) Belgis
 Aggesto ornatu, simul & munimine vasto,
 Spumantes contra fluctus, diroque minantes
 Diluvio sese per apertos volvere campos?
 Stant arte oppositæ moles, jaectæ ordine longo,
 Ut raseam, simul artis opus, quas alveus undas
 Invehit innumerus, quæque his ars commodat undis,
 Ut riguis, toto diffusis corpore, venis.
 Illaque Naturæ solis nunc horrida donis
 Tota situ squalens C A Y E N A, nitore futuro
 Quanta parat debere tibi, vigiliique Ministro,
 Consilia assiduis stipat qui dum tua curis,
 Deproperatque ardens, & sollicitudine semper
 Indefessâ, animo se præbet in omnibus æquo,
 Rebus par cunctis, & te tanto auspice dignus?
 Quid non debebunt, nostris qui legibus uti,
 Et factis discent nostris sē tingere Seres,
 Extremique alii, nondum vel nomine noti,
 Ad quos nostra parant aditum commercia, quosque
 Mox tibi subiicient longinqua per æquora vectæ,
 Sulcantes vada cæca tuo sub Numine classes?
 Hærens namque tuo gradietur passibus æquis
 Imperium Christi, & regnum cœlique, solique:
 Humanis divina, sciæt conjungere ritè
 Mutuus amplexus, sacrificque innectere vinclis.
 Quam fortunatos sese, te Principe dicent!
 Summum quippe bonum populi qui credis amorem,
 Quique putas hominem, solum ex animalibus uti
 Qui ratione sciat, simul & ratione regendum,
 Pastorisque, Patrisque vices, & munera Regem
 Exercere: tuæ sedet hæc sententia menti.
 At contrà quantum ille errat, quicumque recentet

57

Misso sub legem populos raptatque , trahitque;
Vexat agens , diræque premit sub pondere virgæ?
Hos potius , veluti teneros oblectet alumnos ;
Uique recens natos blandâ dulcedine lactet :
Ut sata quæ nuper , nondumque adoleverit arbor ,
Fulciat , ac firmet ; damnum , noxam arceat omnem ;
Ac recreet , morbo veluti modò membra levantes ,
Qui reparant ægto decerptas corpore vires .
Ipiis , sic vinci , credatur munieris instar ,
Invideantque alij , libertatisque petosæ
Optent jacturam simili pro sorte pacisci ,
Cum libertatis sint compensatio leges ,
Attes , Religio , & vitæ præcepta beandæ .
Talis erat famâ latè celebratus Osiris ,
Qui patrios linquens , quibus imperitaverat , Argos ;
Et laudum , non succensus ditionis amore
Majoris , Terram penetrans Memphitida , fines
Hesperios , Indos vicinos Solis , Hydaspem
Qui , Gangemque bibunt , horrentem paupere cultu ,
Dedocuit vitam , victis & moenia ponens ,
Et leges , superos quibus est & adeptus honores .
Talis Monstrorum vîctor , domitorque ferarum
Alcides , recti sator ille invictus , & æqui ,
Ac similes alij , quamvis fas dicere paucos ,
Sed quorum numero summis virtutibus addi
Magne paras Princeps , jamque illis proximus hæres .
Quo tamen usque feror ? Cantu celebrabimus ista ,
Mox alio . Longus rerum mihi nascitur ordo .
Nimirum dicam patiter , quas Africa palmas
Misit decerptas nuper , præludia messis
Longè majoris ; dicam Lunæ illa retusa
Cornua Threiciæ Germanâ nuper in orâ ,
Atque armis , Rex magne , tuis . Nos ille vocabit
Mox labor . Interea nos iste coercent Isthmus .
Contrahimus pelago nimium data vela profundo .

58

AD REGEM NAIADES FONTIUM PARISIENSIVM


*Increbuerat rumor, Parisis, velle Regem pri-
vatarum adium fontes quam plurimos publi-
co reddere, ac exteros etiam alios in urbem
accersere.*

NUNQUAM defessis in publica commoda curis
Qui vigilas, quique illa, animo conatibus æquo
Immensis, longè diviso accersis ab orbe,
Unde beent Regnum volucri Commercia censu;
Tam dulces, LODOICE, parans ex æquoro falso
Ac simul è Fluvij curarum affundere fructus,
Nos quoque dulcifuo manantes agmine Nymphas
Respicis, inque tui partem moderamini infers
Privatas derivatae torqueunt in ædes
Invitæ; nam nec nostris communior Aër
Est lymphis, quando nativo est serpere lapsu
Concessum, humanos sic sponte oriuntur in usus;
Sicque fluunt, ultro variarum errore viarum, .
Obviæ ut ad plures flexu sinuentur amico,
Nunc ostentamus populo sicca ubera passim,
Aut stillans raro singultit guttula lapsu,
Dum liquor est aliò deductus, & esse benignæ
Cogimur in paucos; at publica fama vagatur
Munificæ nos reddendas, te vindice rursus
Naturæ, ingenio spargendaque flumina nostro;
Sistendos quotquot detorti hinc inde canales,

Et veteres nos ad conchas jam jamque reverti.
 Quin etiam satis esse negas reddi ante paratas;
 Mille sed excipulos crateras diceris, urbe
 Hac totâ, velle in varijs substernere vicis,
 Atque novas nobis accersere mille Sorores.
 Nec tamen hæc in nos meritorum est summa tuorum;
 Non sola hæc benefacta, novis manare fluentis
 Ut detur: nos & tangunt magis ista, licebit
 Quod nitidis fluitare vijs, purgataque cœno
 Excipiet laticum salientes area rivos.
 Credetis illimes urbem quoque ferre per amplam
 Velle pedes, populis vultu spectabilis illo
 Sydereo, qualis celso descendat Olympos
 Jupiter, & posito dignetur fulmine cœtus
 Lustrare humanos, misericorde ipse fruendus.
 Latitiam mitto populi venerantis; at undis
 Edemus pariter quot nos spectacula nostris?
 Arte solet quidquid ludi, ludemus & ultro,
 Lymphis, si friget, tepidis; æstate, nivosis.
 Quo tu cùmque feres quo cumque & tempore gressus,
 Gaudebit, pedibus se blandè argenteus humor
 Advolvens noster, delibare oscula, blandè
 Suspenso decursu, & quam propiore licebit,
 Ut Libertatis grates tibi reddat adeptæ.
 Reddet cognatus quoque Fons Heliconius, aut quæ
 Præsunt Nymphæ illi, Gentis quoque Numinæ nostræ,
 Nobiliora licet, titulisque, & honoribus aucta.
 Res agitur quæ nostra, est his communis; habentque
 Nostræ curam illæ, plaudentque carmine solvent,
 Quæque tibi debent, & quæ debebimus ipsæ,
 Si modò te dignum quidquam Parnassia possit
 Tota cohors, nec juncta tuis sit laudibus impar.
 Murmure nos aliquo saltem modulabimur; illæ
 Et plectro sument celebrare, & voce canorâ.

Hoc opus facile adducor ut credam dilatum esse tan-

tum, non omissum, aut ab iudicatum; neque Eum, qui
tot commoda in urbem invehit, tot illam ornamenti
illustrat, passurum istud longè pulcherrimum & com-
modissimum, sua Gloria, & utilitati publicae deesse.



AD REGEM, E BELGIO REDUCEM,

Cum ad illud pacificè, simulque beneficè
esset profectus.

BELLIPOTENTEM audax, potuit quo carmine, Musa
Atque triumphantem dudum te nostra quotannis
Excepit reducem; fastos tua plurima laurus
Signabat nostros, nosque exercebat anhelos
Annuus ille labor, qui te, LODOICE, canebat,
Pacificum nunc te an sileam, bello antè recepta
Cum placidis illustrasti oculis, animoque medendi
Hastâ ut Achillæa, belli nota si qua superstes,
Te facta invito si quæ sint vulnera nondum
Obducta, ac rediit si nondum & pristina forma;
Majore augeri nec possit & illa decore,
Parisios, regnum quoque totum ut splendidus ornat,
Mars ubi conspectus fueras, es Solis & instar.
Hic visus, cinctus radiis illustribus æquè,
Astrorumque chori Rex par, & luminis author,
Ac demum nitidorum etiam pater ipse dierum,
Dum benefacta pari procedunt publica gressu,
Communem ferre ut tecum videare salutem.
Imperiis fiat quæcumque accessio, fiat
Pellæo qualis juveni, virtute secundus

Qui nulli , & cujus vix fortunam audeat ullus
 Tam latè victor sperare ; minoris habendum
 Non fuerit meriti , quām querere , parta tueri ,
 Moribus ornare , & legum moderamine recto
 Emendare eadem . Nempe hoc , Rex inclyte , noras .
 Hinc placuit domitos vultu recreare benigno ,
 Virtutis præbere tuæ spectacula victis ,
 Quam stupeant , quā se victos lætentur & ipsi ,
 Ac donis armisque patem pretendere dextram ,
 Gaudentem largè dites effundere nimbos ,
 Unde novus celso credaris ab æthere lapsus
 Jupiter , & vero jam fabula depluat auro .
 Incessus fuit ille tuus , te publica talem
 Fama ferens linguas hæc in præconia solvit
 Mille suas , istis sermonibus occupat orbem ;
 Ut , L O D O I C E , animos temirans quisque rebelles
 Exuit , estque imis è cordibus erutus hostis ,
 Hicque locata omni custodia tutior arce ,
 Insitus hic amor , & sceptri veneratio justi .
 Sunt nempe & nobis , longè licet inde remotis
 Audit plausus populorum fausta precantum ,
 Gaudia testantes sublatæ ad sydera voces
 Auditæ , & læto reboare tonitrua bombo
 Bellica ; sunt visi festasque per aëra flammæ
 Spargere ludentes gyris crepitantibus ignes ,
 In scintillantes incendia versa coronas
 In scenâ volitante tuos celebrare triumphos .
 Nec minus hæc omnis sunt gesta in pectoris imo :
 Lætitiae rivos fonte est deductus ab illo .
 Quid plura ? à Gallis animum noménque paternum
 Ad Belgas quām te juvet extendisse , probarunt
 Et sensere ipsi jam Belgæ ; vellit & orbis
 Jam totus sentire , tuis & legibus uti ;
 Ast , ubi non sceptro , famâ , & dominaris amore ;
 Et grata occurrit gemino tua gloria Soli .
 Sicque minore mihi non sis nunc ore sonandus

Pacificus , quām cūm Bellator; carminis cōstro
 Surgendūmque pari , labor & me exhaustiat æquus.
 Interea salve & nobis , R e x magne recepte;
 Salve deliciæ , & requies secura tuorum,
 Quam tibi , R ex invicte , negas , seu pace tueris
 Illam legiferâ , armato seu jure , manuque.
 Cernis , quām plaudant reduci tibi plébsque , patrésque
 Unanimes ; quin ipse suis ut Sequana ripis
 Exire , advolvi , blandéque occurrere gestit?
 Felix vive diu , Pyliam superánsque senectam;
 Ac te D E L P H I N U S longum præsentē fruatur
 Exemplo ; frænisque olim communib⁹ addas
 Hunc socium . Natura tamen doctrináque junctis
 Sic celerant studiis , maturè parte levare
 Ponderis ut possis , illi imponatur & apte,
 Sufficias licet ipse orbi , nec pluribus impar .



63

EPICEDIUM

H E N R I C Æ

ANGLIAE PRINCIPIS,

DUCIS AURELIANENSIS

INCLYTÆ CONJUGIS.

QUI gemitus? totâ resonat qui luctus in urbe?

Unde sedet quovis tantus in ore dolor?

Audio de Fato, surdâ & de Morte querentes,

In quemcumque attras quodd jacit illa manus,

Altò quodd generi, cœlesti parcere dura

Ingenio, formæ sydereæque, negat;

Optima quæque rapit, rapit immatura, nec ulla

Hanc contra virtus, dōsque, decusque juvant.

Ptô superi, quæ causa istis invecta querelis?

Omnia nūm nobis tuta, quieta, favent?

Num salvo cum Rege salus stat publica? salvâ

Et cum Reginâ regia tota domus?

Funereus tamen hic fremitus quid nuntiat ingens?

Interca vārio distrahor ipse metu.

Sed nimis ex vero tandem mens augurat, unde

Justis tot lachrymis ora sinūisque madent,

Unde hæc salsa pari volvuntur flumina cursu,

Ut monte ē gelido cùm tepuere nives.

Nec dubium patitur me ultrà pendere, diserte

Qui nimiū clamor sydera celsa ferit.

Inclytæ nempe obiit divini H E N R I C A decoris,


Aurelianensi quæ modò nupta Duci.

Extingutum astrorum primo est ex ordine sydus,
 Luce micans generis, luce micansque suâ;
Luce magisque suâ; nam quantum accessit honori
 Nativo, fuerit regius ille licet?
Regi quæ Franco, Regique agnata Britanno,
 Virtutum vicit nobilitate genus.
Fœmina erat sexu, mentem fortia virilem;
 Fœmineus nec quis visus abesse lepos.
Est leve forma bonum; sed, si laudabilis ulla;
HENRICA hinc potuit gloria quanta peti?
Legerat hospitium mens formosissima, formâ
 Conspicuum, virtus unde venusta magis,
Unde daret sese cum majestate tuendam
 Majori, hanc hilarans perplueretque Charis,
Que bene mens habitat, magis hinc nitet ipsa, deoique
 Exterus interni nuntius esse solet.
Nostris blandè oculis ut latum affulget, Eoi
 Praecedens Solis lux speciosa jubat;
 Sic pulchro à vultu radios mens promere pulchra
 Incipit, & prima parte micare sui.
Corporis, atque animi dotes non largior ulli
 Natura est plenâ spargere visa manu.
 Virtuti & formæ sed nec convenerit usquam
 Aptius; hic illis mutua juncta fides.
Mitto ea, sed virtus quam non illa aspera? justis
 At prompta officiis, quamque benigna fuit?
HENRICO solvit nunquam, prodesse loquelâ
 Quin vellet, semper quin foret illa favens.
 Scilicet in votis unum hoc habuisse putetur,
 Factis & dictis quemque juvare suis.
 Privatis nec erat solis nata illa juvandis,
 Regna sed ipsa suâ conciliabat ope.
 Denique tanta fuit meritorum copia, digna
 Ut neque centeno detur ab ore cani.
 At vitæ laudes superat quoque gloria mortis.
Quam fuit illa, brevi tempore, docta mori?

Ætate in vernâ , rebus circumflua lætis,
 Gloria dumque illam , cunctus & ambit honos,
 Morbo tentatur subito , junctóque dolorum
 Agmine ; at in mediis emicat illa malis.
 Vivida vis animi moriente in corpore surgit
 Se major , celso proxima fitque polo.
 Terris illa vale sic dicit læta supiemum ,
 Ut , quibus in misero vita peracta situ .
 Atque ea sic discit paucis exercet & horis ,
 Centum vitæ annis ut meditata putas ,
 Esse in secessu longum provisa severo ,
 Non Aulæ è pompâ , deliciisque rapi .
 Sed suprema ejus qui verba excepit , & illi
 Adfuit , extremam Præful * opemque tulit ,
 Eloquio pandet mox plenius omnia sacro ;
 Nec messi est tantæ falx quoque nostra satis .

* Illustriss. Præful. Condomiensis.





AD REGEM,

DE BATAVIA TRIUMPHATA.

EPINICIVM.

QUÒ me, Musa, vocas? aurem quid Cynthie, yellis
 Scilicet illa fidem sunt inventura nepotum,
 Ant ipso hōc nostro credi sperabitur ævo,
 Vel digno queat ore cani, LODOICUS ahenis
 Ut cinctas muris Batavas penetraverit urbes,
 Turbine ceu præceps Boreali, & fulminis alis
 Ocyor, è mediâ nimborum nocte coruscos
 Miscentis crepitus, terræ, pelagóque tremendos?
 Aut veluti rapidus montano è vertice torrens,
 Non pluviis collectus aquis, nivib[us]ve solutis,
 Continuo sed qui non cesset flumine volvi,
 Omnia dum sternat pronum remorantia cursum?
 Æmula te talem, LODOICE, Batavia sensit,
 Molibus oppositis mole incumbente sepultis
 Majori, ac Cœlo delapo ut pondere, latâ
 Desiliente viâ, vastamque trahente ruinam.
 Vesanum sensit domitum Gens vanâ furorem
 Per fas atque nefas regnandi; & fræna momordit,
 Ad sua totum orbem fuerat quæ visa vocare.
 Illa solo nata atque salo dubitabilis ales,
 Plumnas omnigenas, variorum & mille colorum,
 Vicinis rapiens hinc inde volucribus, alas
 Auxerat, & Terras supra pandebat & æquor
 Amplivagas, sperans, aquilæ ceu præpete pennâ,
 Cœlo etiam tolli; plumnas sed sensit easdem,

Icatiæ veluti ceræ compagine junctas
 Defluxisse sibi, jubar ad penetrabile Solis,
 Jamque, ut Noctis avis, cui ductum à Vespere nomen,
 Carpit, pro pennis, implunii pelle volatum.
 Nudati species hæc est, Lodoice, Batavi,
 Hæc est, quæ Terras avis infestabat & undas,
 Herculeisque tuis, ut Stymphalis, acta sagittis,
 Natales intra cohiberi est jussa paludes.
 Nec tua consilij vis expers, maxime Regum,
 Nec votis Fortuna tuis sic favit amica,
 Illis ut famulans cæcā aspiraverit autā.
 Bellacis quidquid potuit virtutis adesse,
 Quodque artis, potuitque animi (nimis iste periclit
 Heu! fuit in te avidus, nunc & meminisse timemus)
 Adfuit omne illud, mirè & Prudentia solers,
 Ac ævo in viridi cana Experientia, præsens
 Mens semper, quæque ad casus vigil excubat omnes,
 Ut vicina polo jugi quæ fulgida luce
 Sydera, & occiduæ perstant quæ nescia sortis,
 Vel tuus ille ut Sol, Mundis nec pluribus impar.
 Bellum nunquam aliud tanto molimine, tantâ
 Expediitratione geri; non arte, sitque,
 Naturaque fuit regio muni: ior ulla,
 Aggeribus, muris, vallis sic septa, tot undis
 Invia, demum omni tam circum robore cincta.
 Quid tamen hæc juvit cuncta opposuisse ruentis
 Arces per medias, superanti immensa natatu
 Flumina, Rhenum ipsum, tanto tam gurgite vastum,
 Ad quem Romanus vincendi substitit ardor,
 Cætera Terrarum latè populatus, habenis
 Ut quando immisis volvens incendia sylvas
 Flamma per oppositas occurru abrumpitur amnis?
 Iste tibi medium se frustra objecit eunti,
 Mox debellatis jussus mitescere ripis,
 Atque tuis contundi armis sua cornua passus.
 Nec satis est undis luctantem enare, sed ipsos

Adverso obstantes in littore proruis hostes
 Impete continuo, triplicique hic Marte triumphas,
 Rheni, hostis, ripæ simul expugnator iniquæ.
 Jam quando ad foetas armis acceditur urbes,
 Obsidio quas longa alias, imò annua cinxit;
 Anne expectatur, pavidis ut vinea sensim
 Moenibus adrepat, pyriöve ut pulvere mota
 Dissiliant, latoque aditus ut limite laxent?
 Incursu primo superantur, & alite raptim
 Assultu; nec non uno simul ordine plura,
 Incustoditi septa ut videantur ovilis.
 Longior aut subitis mora si successibus obstat,
 Virtutis portenta illic majora patescunt,
 Majorique placent raptæ discrimine palmæ.
 Jamque istarum etiam numerum Victoria nescit,
 Cedit & Historiæ longum has meminisse laborem;
 Hoc unum curans, partis nova semper ut addat,
 Agglomerans dextraque tuâ, ductuque Trophæa.
 Prisca evolvat fastos, totius & orbis
 Annales, quem prisca juvant miracula tantum:
 Par istis, L O D O I C E , tuis occurrere gestis
 Nil valeat. Si comprescos à Cæsare Gallos
 Quis stupeat, sunt hæc bello confecta decenni,
 Vixque minora tibi denis exhausta diebus.
 Pellæo est Regi peragrata Asiatica Tellus,
 Totam perque illam proclivi est strage vagatus?
 His unam è multis hæsisset lentus ad urbem,
 Hæsisset pariter * qui nomen ab urbibus olim
 Sortitus captis, quem nobilitavit & eus
 Præsigne inventum, quatiendis* Machina muris,
 Juncea sed nostros quæ nunc apretur ad usus.
 Nec bello hos tantum superas, L O D O I C E , vetusti
 Temporis Heroas, Pacis sed vincis & arte,
 Justitiaque, tuas quæ vites temperat æquo.
 Est Bellona ducem quam te admirata peritum,
 Iplæque quam stupuit te Marsæva arma tenentem;

* Demetrius Poliorcetes. * Helepolis.

Tam te victorem modò Pax celebrabit inermem;
 Parcentem victis tam te Clementia cœlo
 Aequabit, dantem leges & jura benignum.
 Gaudebunt victi victos se, unūmque dolebunt,
 Quòd sint sera tuæ ditioni acoessio facti,
 Séque regendi ipsos & sollicitudo tuendi,
 Faustè ablata, tuis sit tardius addita curis.
 Interea non est mens omnibus una; repugnant
 Nonnulli, certantque bonum commune morari;
 Et te colloquiis cunctantem eludere lentis
 Fulmineumve parant pactis removere dolosis.
 Cogi quippe volunt. Fatis felicibus utens
 Coge vel invitox (quando his quoque præstat) eisdem
 Fatis esse tuis felices. *Arma tenenti*
Omnia dant, qui iusta negant. Justissima certè
 Sunt tua, un Ingratos, quæque urgent arma Superbos;
 Injustosque; Dei causa est tua junctaque causæ,
 Et cœlo quam tu, cœlum tibi militat æquè.
 Audimus, quam Religio sit libera multis
 A te facta locis, exul quot redditæ templis.
 Est tibi victori cura illa potissima, merces
 Belli prima tui, veteres renoventur ut aræ,
 Hicque Fide, ritu, sacrificique litetur avitis.
 Perge pari, quam cuncta soles, ratione, modoque;
 A longis, fateor, docet Experientia sæclis,
 Quæ jure armato, per vimque adjecta recenter
 Sit ditio, veteti solidam minus addete molem,
 Tractu dum leni corpus coalescat in unum;
 Esse diu similem commotis funditus undis,
 In spumas solitis vanasque excrescere bullas,
 Plenius esse ut vas videatur, at extet inane
 Exundans tantum, vacuūmque exuberet amplum;
 Tranquillæ dum redcantur jactata quieti.
 Aestu agitata tument simili præcordia victis,
 Illos victoris donec moderatio prudens
 Sedarit motus; Verum hi lenimine jam mox

Detumuisse tuo poterunt, victórque timeri
 Cessabis, Dominus Patrem induet, estque Timori
 Successurus Amor; sanabit vulnera vultus
 Sydereus, mite alloquium, quæ Martia dextra
 Nunc invita infert: erit & tua Pelias hasta.
 Quæ solet Infirmis adhiberi cura, jacentes
 Dum vires placidâ recreántque, fovénque quiete,
 Convenientे simul victu, & moderamine leni;
 Hanc victórque feres, paritérque salutifer idem,
 Sicque dabit lætam tua se Victoria victis,
 Cæteri ut invideant, sorte & lactentur eadem,
 Donec cum Gallis uno canet ore Batavus;
 MAXIMA sub Domino, libertásque unica justo,
 Qui recti lex viva, magis qui gaudet amari
 Quam metui, bona privatis qui publica præfert,
 Temperat & Mattem placidis virtutibus, estque
 Una Pacificus Numa, Bellatórque Quirinus.





AD GALLIAM, GRATULATIO.


*Ob natum illi secundum Principem Ducem
Andegavensem.*

CURA Dei manifesta, hominum gratissima sedes
GALLIA; quæ bello fortis mihi dicta, potensque;
Pacisque quæ florens, omni mihi sorte caneris.
Te celebrare juvat, fuerit dum vita superstes,
Aut ope Musas suâ donec quacumque favebit
Nutanti in senium mihi, prono at pondere nondum;
Et supremam ævi nondum ducente ruinam.
Crescit nulla tuis sine me nova gloria rebus,
Successu exultans sine me latabere nullo.
An fileam, firmata novo cum regia fulcro
Est domus? auspiciis cum tam felicibus orta
Altera nunc proles, curas obitura secundas
Imperij, tam nexa fide, quam sanguine juncta;
Et duplice jam se cum Rex munimine cingit?
Speranda istorum quæ sit concordia fratrum,
Unanimis sat Fratre docet cum Rege Philippus,
Assiduus Belli socius Pacisque laborum.
Nempe & apud Belgas, conjuncta pericula Martis.
Quo non ille animo, quam non perrupit & arte,
Inconcessa licet nullo tentaverat ante
Illa rudimento; primo sed palmifer auso
Bellator, juvit quam consilioque, manuque?
Propria quam visus fuit ille reposcere iura,
Non Fratris? majori etiam contendere nisi,


Quām si pugnaret , soli sibi vindice dextrā ?
 Quāmque etiam optavit belli discrimina solus
 Cuncta subire , salus Regis quōd tuta maneret ,
 Et populi securus amor ; cūm se hostibus ille
 Plurimus objiceret , casus heu promptus in omnes ?
 In Batavos quem se & quantum modō præbuit idem ,
 Et quam Fratri operam sociis non præstitit ausis ,
 Quām Belli est visus Numen , Fulmenque secundum ?
 Et verò , qui Geryonas , similēsve Gigantes
 Fecit tergeminos , qui monstra tricorpora finxit ,
 Se , pariterque alios commento lusit inani .
 Nam , concreta simul , moliri an corpora possint
 Illa foris quidquam , semper coalescere jussa ,
 Nil tentare extrā permissa , ultrāve moveri ?
 At fratres possuntque simul , possuntque remoti ,
 Nunc absente operā , nunc se præsente juvare ,
 Remque gerunt juncti , spatiōque interstite longo ,
 Æmula amicitiæ fraternæ , atque illius umbra
 Quælibet est alia , & nomen sibi vindicat illud .
 Maxima vult animorum omnis conjunctio , fratribus
 Signari titulo ; summa illam hæc gloria tangit .
 At fraterna magis fiducia Regibus illa
 Convenit : est Frater custos innatus , adhærens ,
 Intimus , est recti spontaneus autor , & index ,
 Extetnis Reges dum pluribus usque petuntur
 Infidiis . Rarus non Expiscator , & auceps
 Accedit , rarus non spargens nubila vero ,
 Privatisque parum Majestas regia cordi est
 Plerūmque ; ac semper , fidei , vigilēsque Ministri ,
 Quales jam nobis , non demittuntur Olympo
 Ex alto , qui toto illam molimine firment ,
 Nec cunctis animus sub Rege regentibus idem .
 Ast in Principibus cura illa domestica perstat ,
 Constanſ Regis amor , mens illi addicta , fidēsque ;
 Res illorum agitur , cūm quid labefitue , ruītve .
 Scilicet ipsorum splendor Sole exit ab illo ;

Hujus


Hujus sunt Solis radii ; sunt fonte fluentes
 Ex illo rivi , qui purâ argenteus undâ
 Si splendet , largusque fluit , ditantur & ipsi ,
 Et splendent pariter , pendetque ab origine fluxus .
 Ergo hæc speretur Fratrum concordia , Patris
 Cum fratre exemplo & votis tam debita nostris .
 Interea , Puer in mediis modò nate trophæis ;
 Ac , licet in cunis , spes ô ! columenque secundum
 Gallorum , spira vitales vividus auras ,
 Et præmaturum stilletur ab æthere robut .
 Murmura vagitus quamprimum in blæsa tenellus
 Transeat , in voces mox efformetur adultas .
 Non patitur spes nostra moras , hanc protinus imple .
 Gallica se quantis attollet gloria rebus !
 Verum quæ possunt ultrâ incrementa parari ?
 Quam , puer ô ! generose , parum tibi restat agendum ?
 Quam fratrique tuo ? dolet ille , dolebis & ipse
 Raptam materiem ; palmis cultura paternis
 Una subest , labor exemplis insisterè fixis .
 Nec labor hic modicus , crescant cum tempore vires
 Usque licet ; fixa Herculeis hæc meta columnis .
 Pergite concordes , illo vestigia gressu
 Figentes , quâ vos Patris lux prævia ducit .
 Aut aliam si fata viam felicia monstrant ,
 Hæcque , nec invito , meta est superanda , parente ;
 Nil certè in video sæculo præsigne futuro ,
 Servatur majus si quid ; mea jam satis implet
 Nam vota hic visus geminatus surculus , arbor
 Qui cresceret , felix geminanda nepotibus umbra .




AD REGIÆ PARISIENSIS
EPIGRAPHEN
APPARATUS
SEU
CONATUS PRÆVII.




I. **H**Æc Domus est Cœli stellantis Imago ; ca-
purque
Fert Cœlo Dominus , Cœlo propiore coronâ.



II. Vastâ fronte Domus , spatia in diversa recedens
Immense , Dominum vix satis ampla caput.



III. Olim Tempus edet molem hanc ; at Conditor ultra
Extendet LODOIX virtute superstite famam



IV. Est Decimi-Quarti LODOICI hæc Regia ; sed tē
Hoc nescire, ipsum non pateretur opus.



V. Hæc Caput Imperij Domus est , & regia Sedes,
Cui par jaetatus nullus in Orbe labor.
Nec mirum hic vinci Miracula cuncta; Triumphos
Per mille , hoc L O D O I X crescere jussit opus.




VI. Quæ spectas , Cœlum ferientia vertice Tecta;
Et quorum ingentes æqua verit ambitus urbes,
Erexit L O D O I X , transgressus sydera famâ,
Et meritis , vasti quæ non capit ambitus Orbis.



VII. Artis, opum vires hæc ut Dominus exhibet omnes;
Natura in Domino prompsit & omne decus.
Prompsere & Charites , & Virtus regia quævis,
Ars Pacis , Belli gloria , Juris amor.
De Domino vix Fama fidem paritura nepotum:
Déque Domo credes vix satis ipse tibi.



VIII. Pacis opus , Bellique vides . Non desit , inter
Bellorum immensos sumptus , mediisque
Triumphos ,
A Decimo quartus L O D O I X urgente laborem.
At fronti ne sola fides ; néve , Advena , solis
Obstupe in externis ; intus majora , vel ipsis
Indigenis semper nova se Miracula produnt.



IX. Pendebat longos ista interrupta per annos
Regia , per plures vel repetita vices.

Quā verò hostiles L o d o i c u s dejicit arces,
 Victrici hanc latè suscitat ecce manu.
 Aequatur Cœlo moles operosa , nitore
 Phœbeam vincens interiore Domum.
 Tantum poscebat R E G E M , Geniumque laboris
C O L B E R T U M, in cunis visa sepulta suis.






MISCELLANEA.

HORVM pars maxima ad ipsum etiam Regem, ejusve Historiam pertinet, licet Regis nomen non praeferant; siquidem huc tantum congeSSI selecta e meis Poëmatiis aliqua, qua scripsi Regiis intermedia, ab eo solum tempore, quo Regi potissimum mea fuit Musa addicta, cetera que præcesserant juvenilia, seria tamen, nec à Pietate aliena, seorsim, si videbitur, editurus. Ut autem rationem integrum reddam otij, quod mihi fecit Regia Liberalitas, declarandum duxi, me, hocce eodem tempore, meos in Ecclesiasten Salomonis excursus absolvisse, sub Titulo Theatri universæ Vanitatis: Excursus item alios fecisse in ejusdem Salomonis Proverbia, sub Titulo Philosophiæ Practicæ: Quæ opera jam in lucem prodierent, completentia plus quindecim versuum millia, quorum de merito iudicium sit penes Lectorem. Præterea Sapientiam eodem stylo metrico aggressus, sub Titulo Stadij Sapientiæ, penè ad umbilicum perduxisse.

Hoc monebo insuper, me in his Miscellaneis contexendit rationem tantum, quoad potui, habuisse temporis, quo scripta sunt, non Personarum dignitatis, nec materialium convenientiæ: Quare in his nemo mihi litem intendat, ut, inscio, vel negligentis.




AD BERNINUM.

*De Regis Effigie marmoreâ ab eo
sculptâ.*

QUÌ vivos spirare jubes è marmore vultus;
 B E R N I N E , artifici tam celebrate manu:
 Lyfippi victrice se cuius adorea tollit,
 Lausque Myrona super , Praxitelemque volat ,
 Cui vivo hæc ætas titulos jam contulit omnes ,
 Quos dare ab exequiis posthuma fama solet .
 Hæc fateor de te , possum quoque plura ; tuóque
 Cogor adhuc cœpto te dubitare parem ,
 Nimirum dignè L O D O I C U M vt fingere tentes ,
 Solus consimilis qui valet effe fibi .
 An non ipse times , né victa industria cedat ,
 Æmula Naturæ sit tua dextra licet ?
 Naturam superat Majestate ille verendâ ,
 Et quô Cœlesti totus honore micat .
 Solùm hoc usque puta te prolusisse supremo
 Huic operi ; rem nunc artis egere novæ .
 Illa sed , ô Superi , quænam est , aut unde petenda ,
 Ætas quam præsens , nescieritque prior ?
 Fallimur ; incessit certè fiducia mentem
 Digna tuam , & temerè me dubitasse pudet .
 Qualis enim & quantus nobis , B E R N I N E , videris ?
 Quam bene se vires exeruere tuæ ?
 Æquanti Cœlum par ipse exurgere nosti ,
 Fertque humana super se tuus iste labor .

In Lodoico instar quantum est , in imagine tantum
 Apparet ; pariter fulget utrumque decus.
 Non poteras melius te longis indere saeclis :
 Ultima praelustrem sculpis ad usque viam.
 Nam quæ Fama canet Lodoicum , tempora tranans ,
 Hoc simul illa tuum sera loquetur opus.



AD ILLUSTRISSIMUM
 DOMINUM D.
COLBERTUM,
 REGI A MANDATIS,

Ætarij , Commercij , Artium , & Ædificiorum
 Præfectum.


*De Marmoreâ Regis Effigie à VARINO
 sculptâ.*

QUOD spirans , vivensque oculis hęc secula nostris
 Phidiacum ostendunt marmor? vetus ille Deorum
 Tam celebris fector * superisne est redditus oris ,
 Vitalique frui rursus permittitur aurā?
 Sic potuit certè Lodoicum effingere nostrum
 Non aliis , quam sola suo qui numina cœlo
 Fertur dignatus , fingendisve aptior illis
 Consensu fuit unanimi qui creditus olim ,
 Majestatem unus divinam æquare peritus .

* *Phidias Diis , quam hominibus efficiendis melior.*
Quintil. lib. 12.

Si minus, hujus opus recte censemus istud,
 Pellæum Regem solus qui sculpere dignus
 Est visus; non est opera Rex iste minoris;
 Par animus, par oris honos, par gloria fulget.
 At neque dextra hæc est aliena è gente redempta;
 Non est à saeculis revocata prioribus, artis
 Quæ tantum perfecit opus. Nostra ipsa, recentes
 Fert ut Alexandros, novit quoque Gallia ferre
 Lysippos, & cum summis Heroibus, æquos
 Illis artifices. Toti nihil invidet orbi,
 Dicere nec verear, toti nihil invidet ævo,
 Annorum series licet evolvatur anilis.
 Sed vetus humanis inolevit mentibus error,
 Ut meliora putent longè quæcumque petita,
 Canisve à saeculis quorum est reverentia major.
 Sic, * defossum inter squalentia rudera signum
 Erueris quodcumque, novo præponderat omni
 Protinus, ipsum illud quamvis factum arte recenti
 Formam mentiri veterem, speciemque dolosè
 Sit doctum, latebrâque ideo fallente sepultum,
 Stulta vetustati pretium quod opinio ponat
 Pierumque immeritum, Falsò hōc imbuta tenaci.
 Sic sèpè & quæ sunt Italâ (namque obtinet illa
 Nunc regio) vel picta manu, vel sculpta, vocantur
 Laudibus ad coelum, indigenam dum temnimus artem,
 Externas infra positas quæ prægravat, & quæ
 Has longè post se, ulterius progressa, relinquit.
 Errorem nunc V A R I N U S Ter-maximus illum
 Arguit, extorquet, Fusor, Cælator & idem,
 Et Pictor, qui tres animas, tria corda videtur
 Sortitus, nulli cedens, nec in arte secundus
 Hac triplici, sed summa tenens fastigia trinus.
 Facta fidem faciunt, Famam hac namque ambiit una
 Ille viâ, partâ, non emptâ aut laude rogatâ,
 * Alluditur ad historiam Mich. Ang. Buonarota, qui
 hoc dolo irrisit cacam suo etiam tempore vetustatis
 admirationem.

Non conspirantum suffragia pactus amica;
 At summa accersens meritis tria præmia summis;
 Hoc verò miræ artis opus , de marmore ducta
 Syderei Effigies Regis , præconia longè
 Omnia quām superat , tam sese hic vicit & ipsum
 Ille alios vincens opifex. Si munere digno
 Rex æquare potest artis suprema tenentis
 Hunc apicem solus,digno hunc quoque carmine certe
 Vix aliis celebret , nisi Regem laudibus æquet
 Qui dignis , sic in cunctis respondet Imago
 Archetypo. Verùm quæcumque hinc gloria surgat
 VARINO , quemcumque ferat cumulatus honorem;
 Laus , COLBERTE , hæc est tua maxima , scilicet artes
 Ut qui promoteas , illas animante , benignâ
 Mercede. Hâc tacitâ das incrementa Magistrâ
 Auspice sub Rege , imperio qui præside cuncta
 Præcessus regit , & supero qui numine torquet.
 Hôc illo sub nutu , hoc sub moderamine , munus
 Implens rite tuum , partes agis ipse secundas,
 Quâque juvat , vasta complectenis omnia mente.
 Musis tu nostris animos , viresque , canora
 Sufficis in studia , in doctos , sacrosque labores.
 Instituis lectos Doctorum ex ordine cœtus
 Omnipotens , Cœli , Terræque arcana parantum
 Scrutari ; ac sese quô Gallica tollat ad astra
 Gloria , multipli ci quid non molimine præstas ?
 Velivola instauras toto commercia mundo ,
 Humanæque infers aptum vitæ omne juvamen;
 Et decus ; Arsque ut te , sic & Doctrina Patronum
 Omnis habet , ni fas fnerit dixisse Parentem ,
 Solerti sic de curâ quæcumque mereris.
 Ac demum hoc superest votis communibus unum
 Ut tali te Rexque diu , Regnumque fruantur ,
 Quâmq[ue] patet latè , tua tam Prudentia longo
 Insinuet se ævo , numerosos permeet annos;
 Communique bono quæ plurima parturit edat.



AD EUM D E M,

EPIGRAMMA:

QUOD populosa tuis COBERTE, Lutetia
curis

Præbetur sicco nunc obeunda pede,
Tot laudes inter , tua quas Industria , quásque
Commeruit Virtus , poscit & ista locum.
Postremum certè nec credit & ipsa mereri,
Materiâ reliquis inferiore licet.
Mundatum stabulum tantæ quis comparet Urbi
Mundatae ? Herculeus sed tamen ille labor.





AD EVMDEM.

Post purgatam Vrbem cœno, eluviéque, vel ipso
 Augiæ stabulo quæ penè immundior, alter
 Herculeus, C O L B E R T E, labor succedere dignus
 Est visus, nempe ut subeat nil nocte timendum,
 Nec latrociniis possint, nec fraudibus ullæ
 Obtendi tenebræ, vanumque, & inane Lauernæ
 Nunc rogitet Numen furum noctambula pestis:
 Sed nec erat tantum cæcis obnoxia furtis
 Urbs ista, Imperii, Cœlo velut æmula sedes:
 Non Libyæ saltus, non quidquid ubique tremendum;
 Cladibus infestum tantis, tot inhorruit umbris
 Cæsorum miserè, frustaque oculata vocantum
 Sydera, nocte premi salvum patientia crimen:
 At tu, sub R E G I S moderamine cuncta videntis,
 Numine cuncta suo torquentis fide Minister,
 Non fers hanc scelerum faciem caligine tectam;
 Detrahis at laruum, lucemque negantibus astris
 Cœlivagis, isto suspendis in aëre nobis
 Vicino, suprema etiam quæ lumine vincant,
 Perpetuansque diem totâ noctem exigis urbe.
 Præterea spargis vigiles, ad cuncta paratas
 Excubias, tuta ut nusquam commercia cessent:
 Tali, & per noctem, splendere Lutetia vultu
 Debuit ad Regis redditum, clarosque triumphos:
 Scilicet illius tanta est quoque Gloria, nocte
 Occubet ut nullâ, minimâ neque palleat umbrâ,
 At fecerit illustri sacerdorum nubila pennâ,


Æterno , ac solui numquam metuente , volatti;
 Intervallo & tu , longo licet , usque sequeris
 Hoc Regis , C O L B E R T E , decus : celebrabere fido
 Ipse ministerio. Sed & h̄ic quis digna loquatur
 Æqua minus veterum quævis præconia . namque
 Qui famam , qui Regis opes & commoda , quique
 Publica promôrit pariter (fas dicere) nullus
 Te præter. Sunt juncta tuis hæc singula curis.
 Te Regi impendis , populo simul. Ac neque posthaec
 Credatur major tibi laus posse ulla parari.
 Hic supremus apex , & Civis laurea summi,
 Assumpti in partem primi sub Rege laboris.
 Talia præstantem servent te Fata , perenni
 Florentem studio populorum , & Regis amore,
 Atque , ut consiliis , ævo quoque Nestora vincas,



DE IMAGINE
VIRGINIS DEIPARÆ
ADHUC IMPERFECTA.

Q ! Qualem vidique hodie , stupuque Tabellam ;
 Virgo ubi pennigera septa cohorte Patens !
 Quo sedet illa situ : qua Majestate verenda
 Sustinet ambrosiis regia serra comis ?
 Qualis inest ridens oculorum aspectus , & altâ
 Qui solet in superum fronte sedere nitor ?
 Regius in charæ gremio Genitricis Alumnus
 Ad se cunctorum vota precésque trahit .
 Ut bene sydereo subridet amabilis ore ?
 Divinum ut spirant lumina parva decus ?
 Stant circum aligeri , gaudētque ex omnibus unus .
 Sese virgineo supposuisse pedi .
 Sunt , qui nube cavâ partim speculantur amicti ,
 Et mediâ vultûs vix bene parte nitent .
 Talia qui pinxit , num fortè tonitrua posset
 Pingere , Apellæa qualia picta manu ?
 Lintea , Parrhasi cedant tua , cedat & uva
 Zeuxidis , aut majus si fuit artis opus .
 Cedat Alexiden adeo quæ dicitur olim
 Dercyllamque sibi conciliasse Venus .
 Cedat & illa , alium vinclis quæ vinxit eisdem
 Nympha , quibus puerum visa ligare fuit .
 Tu modò finem operi , Pictor quin ponis ? Apellis
 Hæc Virgo Veneri respuit esse comes .





**POESEOS CUM SCULPTURA,
ET PICTURA
COLLATIO,
ET POESEOS PRÆSTANTIA.**

*Non hic Palinodiam cano , post laudatas Pi-
eturam & Sculptruram , quod salva Poëseos
dignitate me fecisse credideram. Sed videns
illis nimium tribui à Poëseos imperitis , qui-
ve illi parum sunt æqui , brevi hōc lusi
Apologetico illius Carmine.*

QVAE nova ducentes ex ære , aut marmore vultus,
 Vel quæ pingentes Gratia tanta beatæ
 Qui saxis emergit honos divinus ab illis,
 Jacta velut Pyrrhæ fint animata manū?
 Gloriâque illustrat vacuos quæ tanta colores,
 Et radios umbris hīc jubet esse suos?
 Artibus his equidem meritæ nil detraho laudis:
 Nec nullum his etiam Numen inesse putem.
 At , ne nostrum illis videatur cedere , pugno;
 Neve homines Error fascinet ille nimis.
 Hoc in discrimen propè jam , si dicere fas est,
 Venimus Aonijs dedita turba sacriss.
 Quippè in Imaginibus vel jam stupor unicus hæret,
 Vel prior : est noster curta secunda labor.
 At magis in longum quam nos dimittimus ævum;
 Quos nostro dignos contigit ore cani?

Nec soli nostro vultus in carmine vivunt;
 Sed Mens , & Virtus , & bene gesta simul.
 Nec metus , auriculis , vel naso ut denique fiat
 Ille minor , nostræ qui fuit artis opus.
 Vivet in æternum totus , quemcumque colores,
 Cælum quem nostrum , vincere sæcla jubent.
 Major erit Fato , semper florente Juventâ;
 Nec juris quidquam tempus habebit edax.
 Quid plura ? hōc certè vincemus Judice , toto
 Qui palmas olim victor ab orbe tulit.
 Sculpsit Alexandrum Lysippus , pinxit Apelles
 In votis visum majus habere nihil,
 Idem at Alexander Pelidæ invidit Homerum,
 Judice lis dirimi quô meliore potest?





A D M U S A S,

EPIGRAMMA.

SV B REGIS, Musæ, auspiciis, quas plurima fovit
C O L B E R T I, æternum gratia digna cani.
 Nunc ubi dulce melos vestrum est? ubi Thracia, rupes
 Mollire, Eumenides flectere docta chelys?
C O L B E R T V M pridem quæ vexat, cedere victa
 Num poterit vestris dira Podagra modis?
Cernitis, invitum quam Regni à rebus agendis
 Avocat, estque ipsi maximus ille dolor?
Rex clavum imperij moderatur fortiter; istum
 Sed quam proretam sentit abesse sibi?
At, ni causa movet vos publica, propria tangat;
 Est in **C O L B E R T I** vestra salute salus.





AD PSITTACUM,

Caveat ruinâ oppressum , fractisque ejus clathris transfixum , cuius mors Carmine deflata est ab Illustrissimo Senatore Tolosano , Domino Dulong.

Flebilis , humanae simulator , Psittace , vocis,
Sed famâ , & solo funere note mihi ,
Note mihi , summi exequiis , & carmine vatis ,
Par cui Nasonis Psittacus esse neget .
Sorte tuâ tangor , fatôque accendor iniquo .
Crudeli heu ! nimium , Psittace , morte jaces ,
Qui fueras toties Domini facunda voluptas ,
Debueras Cygni claudere fine dies ;
Debueras , vel quô reparabilis interit ales :
Aut saltem senio fessus inerte mori .
Occidis heu ! contrâ , juvenilibus integer annis :
Insuper & misto vita cruento fugit .
Aspera fata quidem : verum hoc solamen habeto ,
Carmine quod celebri mors celebrata tua est .
Par supremus honos alii non contigit ulli :
Nullus & in tumulo nobiliore jacet .
Non si Mygdonio decoretur marmore ; non si
Sit Polycleti illud , Phidiacûsve labor .
Fortunate , licet fato sic rapte cruento ,
Altera post obitum reddita vita tibi est .
Ille salutato tam clarus Cæsare , quemque
Tam decantatum nobilitavit ave ,

Cui quondam atrati tumulum struxere **Quirites**,
 Et cui ducta rogi publica pompa fuit;
 Ille etiam, quem Roma recens hoc tempore vidi,
 Potentum humanæ sedulitatis avem,
 Cujus nimirum suffecit spiritus, omnes
 Symboli in articulos æmulus, atque sequax:
 Demum omnes, quorum in fastis est Gloria multa,
 Sermonumque tenax est memorata fides,
 Postera non tendunt ad sœcula, munere linguae,
 Ut Vatis pennâ mortuus ipse volas.



AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM
 HENRICUM LUDOVICUM
 HABERTUM MONMORIUM
 LIBELLORUM SUPPLICUM
 MAGISTRUM INTEGERRIMUM,

EPISTOLA.

MONMORI, omnigenis cuius domus hospita Musis
 Ampla patet; sed quas docto quoque pectore, grato
 Et magis hospitio, blandè admittisque, fovésque.
 Jam nimiū tacito te deveneratus honore
 Segniter obstupui. Speciosa silentia damno,
 Juīta subesse licet poruit mihi causa silendi;
 Nam laudes magnosque viros, multosque, sciebam
 Delibasse tuas: Hoc & S O R B E R I Y S ausus
 Ille meus, tuus ille, potens sermone soluto,
 Pindaricosque alij numeros aptare periti.
 Quid post M E N A G I O S, quid post tentare LABÆOS,
 Heroasque alios, gracili mea carmine Musa
 Audeat? Horum etiam possem vestigia forsitan
 Pone sequi, gressuque pedem non ferre remoto
 Longius? at tardat tua me magis inclita virtus,
 Et tam plenum illud generoso pectus honesto,
 Astrææ Templum, sedesque immobilis æqui,
 Et dispensatrix justo libramine Dextra.
 Hæc quis complecti dignis speraverit ausis?
 Nec tibi sat cunctas animo comprehendere dotes

Civiles : Doctrinatum seque ambitus illuc
 Explicat ; est cunctis etiam locus artibus ; ut jam
 Possit credi olim Sapiens has Stoicus omnes
 Perdoctus. Talem certe sibi vindicat ætas,
 Quæ te nostra tulit. Nec jam vana illa ferentur,
 Ambitiosa nimis visa est quæ Porticus olim
 Assumpsisse sibi , tumidoque extollere fastu.
 Attribuit quam quisque artem , miratur & hujus
 Te gnarum , te rimatum penitissima quæque
 Arcana ; & laudes audit , monitusve péritos.
 Hæc ego sum nostrâ non raro expertus in arte
 Istâ in Pieriâ. Vidi , stupuique Magistros
 Te Stagittas omnes , & vincere Flaccos,
 Judicioque tuo non esse oculatius ullum,
 Nec magis acre , magis nec se indulgere benignum.
 At neque Consultor tantum es ; præberis & idem
 Exemplar , si quando juvat quid ludere nostrum,
 Elabi si quid pateris , recitasve , quod ipsi
 Invito excipimus , raptum tenuentis ab ore,
 Sive Sibyllinis nimis ô ! nimis in vide , mandas
 Hæc folijs , quæ nos volitantia prendere prompti
 Colligimus , ventis & discerpenda negamus.
 Non Romana pares , non novit Lingua lepores
 Gallica ; nilque simul possit limatius edi,
 Nativique magis referens insigne decoris.
 Jam , quæ magno alias conatu Emblemata , quæve
 Id genus , illuctans meditetur , totus in illis,
 Ut longum post molimen , trita otia multa ,
 Pisciculum tandem vix aureus extrahat hamus,
 Hæc ludens , nobisque facis præsentibus , uno
 Plurima momento , magis accurata , magisque
 His desudatis , lerido placitura nitore,
 Et documenta artis cuicunque futura Magistro;
 Nec reliquis præstas in cunctis secius: exit
 Quodcumque , è cœlo nobis delapsa videtur
 Stella , facem ducens , cum lumine prævia multo;

Quid verò hæc solum, tibi quæ debere fatemur
 Privati, memoro? Totus tibi debtor orbis.
 Regia nempe tuis illa est Academia nata
 In tectis, quam S E G V E R I I traduxis in ædes
 R I C H E L I V S. Nec & illa colit te sola Parentem;
 Florentina pari veneratur, & Anglica cultu.
 Exemplo cœpere tuo, sunt deinde secutæ,
 Inque tuis fixere pedum vestigia signis.
 Atmigenâ Trojanus Equus quot fudit ab alvo
 Heroas, fluxere tuis tot ab ædibus actri,
 Et solerte Sophi Naturæ indagine clari.
 Nec magis antiqui ramosa propago Thaletis
 Excrevit, non Pythagoræ, non ipsa Platonis,
 Et numerosa magis si quæ sobolescere vîsa.
 Hoc certè discrimen inest. Post fata, quod illis
 Contigit, hoc vivo cedit tibi, teque paratâ
 Posteritate vides, medium, immixtumque fruentem.
 Nec Sophia hâc solâ credit propagine multum
 Se debere tibi: quanto quoque plura benigno
 Debet ab hospitio G A S S E N D I ? amplexus amore
 Illum quod tanto nempe es, multosque per annos
 Obstetricatus divinis partibus illis
 A te suscepisti? debet, quod Patris adultos
 Non satis ante obitum, curâ, studioque paterno
 Eduxi fœtus, factus Pater ipse secundus.
 Et merito tanti illa viri tibi cura subibat.
 Unus reddebat tua quos Academia doctos
 Sparserat huc illucque viros. Erat unicus ille
 Instar cunctorum. Tecum heu! lugemus ademptum;
 Statque ævo lugere omni, solamina quamvis
 Sint non parva, ejus per te quæ tradita luci
 Sunt monumenta, & quæ tibi cætera rite peracta;
 Quæ vitâ functo solvisti gratus amico,
 Illius æternum decorans quoque carmine nomen
 Æterno, Pietas in quod tua cernitur, una
 Ingenijque tui nitor ille & fulget acumen.

Quin & Avis illum voluisti, Atavisque sepulchro
Addere communi, & propriæ transcribere Genti;
Omnia deque illo meritus vivente, mereri
Et post fata simul voluisti maxima quæque,
Vivere ut in te etiam nunc possit & ille videri,
Sic illum certè ipse refers, non ore, sed omnis
Illius Doctrinæ hæres ex asse superstes.

Cui tamen addicto quamvis tenebris amore,
Non satis esse putas (tantus tibicuncta sciendi
Ardor inest) ejus placitis hærere; Sophorum
Omnivagus migras diversa in castra; sed illuc,
Tamquam explorator, non transfuga; dogmata nam
que

Sunt Sophiae tibi nota omnis, nullique fereris
Externus; possis etiam quamcumque tueri.
Deficiam memorans, in quot se vertere formas
Proteus Ingenij valeat tuus ille, quot aptet
Officijs sese, & quam nil Natura negarit
Munus ad ingenuum quodvis, dignumque laborem.
Ast animæ magis illa tuæ me gemmea tangunt
Omnia, & à nullo nomen sortita metallo.
Aurea nam dici tantum Probitasque, Fidesque
Illa negat tua, qualem ætas tulit aurea nullam,
Syncera & Pietas, & vera Modestia, quas qui
Dixerit, ille simul Virtutes dixerit omnes.
Nec memoro, tua quam simili Pietate resulget
Tota imbuta domus, sit & hæc tua gloria quamvis.
Majores nec si repetam, quosve ampla propinquos
Stirps sibi Magnates junxit, complexa superbas
Nobilitate domos, claras belloque, togâque,
Accensere tuis juvet hæc; sunt extima namque,
Sunt aliena. Mihi sed vellit Patruus aurem
Ille tuus, non se patiens utcumque fileri,
Ille Cadurcensis Præful celeberrimus urbis,
Magnis antè etiam defunctus Juris, & Aulæ
Muneribus, clarus titulis, & honoribus amplius;

Nec prætermitti nostro sine crimine possit.
 Virtutum me Testem habuit, me jure reposcit
 Praconem pariter. Vidi, (stupeoque revolvens)
 Saeta indefesso moderantem fræna labore,
 Et cujus validis vel tota Ecclesia posset
 Incubuisse humeris. Doctis hunc credo fovendis
 Præluxisse tibi. Dux Mercurialibus ille
 Fulsit colloquiis; fuit ille domesticus Autor.
 Namque Cadurci illum Doctrinâ accersere claros;
 Et Pietate viros, lautæque admittere mensæ,
 Conciliumqne frequens sacris de rebus inire
 Vidi ego, maturâ mihi jam florente inventâ,
 Nec tantum indigenas, sed ab ipsâ accire Tolosa;
 Illâ è Palladiâ, * famâque, & nomine ductos
 Ingenti, ingentes illuc migrasse colonos,
 Et sedes inibi, patriâ fixisse relictâ;
 Tale virti meritum, tam visa est gratia pellax;
 Et populosæ urbis tam vir fuit unicus instar.
 Nec tuus hîc Frater nobis memorabitur, ille
 Doctus, percelebris, raptus juvenilibus annis,
 Proh! dolor, & tantum terris ostensus, avaris
 Heu! nimium fatis. Taceo, quos Fama revelat
 Clara minùs, partimve aperit; ceu splendida quando
 Decrescit Luna, &, sese minor usque, recedit;
 Ac medio tamen exit adhuc spectabilis orbe.
 Hi mihi se tales non toto lumine promunt:
 At tu præsenti revocas me luce coruscans;
 Nec moror, unum ad te conversus, omitto forisque,
 Et quæ nata domi, dum tam mihi sufficis unus.
 Perge ornamento Patriæ feliciter esse,
 Perge, favens Musis, aliasque colentibus artes
 Ingenuas, dignasque tuâ florescere curâ.
 Perge vacans, quibus es doctis nos antè bearé
 Alloquij solitus, perge hæc pretiosa, laborum

* Acoftam celeberrimum Acad. Tolos. I. C. & alios.

Otia rapta oneri , mente indulgere benignâ.
 Novimus , hæc nobis quanto libata fuere
 Doctrinæ proventu , & quô se Musa cothurno
 Auxerit . assiduus quis namque , frequensve tabernæ
 Hospes odoriferæ , nec odoros contrahit inde
 Sufficius , nec se quadam hinc asperginetorat?
 Aut , qui rarus , ubi per venas divitis auri
 Reptavit , ramento aliquo non ditior exit?
 Concolor hospitio , cui non vel arenula fulget?





AD EMINENTISSIMUM
S. ROMANÆ ECCLESIAE CARDINALEM,
ANTONIUM BARBERINUM,
ARCHIEPISCOPVM ET DUCEM REMENSEM,
PRIMUM FRANCIAE PAREM,
ET SUPREMVM GALLIAE ELEEMOSYNARIVM.

Postquam *Eminentissimus Cardinalis designatus fuit à Rege Archiepiscopus Remensis, Curia Romana decennalem moram, suis nescio quibus tricis, interposuit, ne Diploma Apostolicum, cuius solo beneficio munericis functio adiri poterat, expediretur. Interea designatus Archiepiscopus Corvillam Castrum Remense Archiepiscopale frequenter invisebat, cum ut collabens Ædificium reficeret, cætraque nitoris suo restitueret, tum ut è proximo sponsæ sua Ecclesiæ curam quam poterat admoveret: Tandem Cardinalis Rossiglio-sius renuntiatus Summus Pontifex illo Remensi Diplomate Ponificatum suum voluit ausplicari, quo nuntio accepto sacrum istud Epithalamium cecini.*

FALLIMUR? an longis tua demum Ecclesia votis
Evicie, sacri decus ostri, & gloria, Princeps

Inlyte , ut incolui mox te & præsente fruatur ?
 Desponsæ dudum fueras devinctus amore
 Unanimi , sed enim sanctos voluere morati
 Amplexus fata , ut jungi felicius olim ,
 Auspice vel saltem sub prospere liceret.
 Fama est , Tergemini qui jam modò sumptat habens
 Imperij , cœlo certè demissus ab alto ,
 Hoc tibi confessim firmato munere , munus
 Delibasse suum , curam hinc inisse paternam ,
 Hincque admotam illi sacra ad molimina dextram ,
 Nec verò auspiciis poterat melioribus uti ,
 Nec specimen recti præbere illustrius , æqui ,
 Ac sancti , quorum inde dedit longo ordine plura ,
 In cultusque pios , in Religionis honorem ,
 In commune decus , simul & commune levamen ;
 Sicque , dies intra paucos , moderaminis annos
 Ut possit jam nunc multos implesse videri ;
 Si , cumulata brevi quæ tempore , digerat acta
 Quis numerans , aut historicus rite explicet ordo .
 Quid non speremus , si , quod communibus illi
 Optatur votis , spatiolum excurritur ævum ?
 Si PETRI non ille dies tantum implet , at ultra
 Progreditur longè , nec spes nos lactat inanis ?
 Quod non sanabit dextro medicamine vulnus ?
 Quæ non , docta manus dissuta resarciet , ægra
 Firmabit ? Quis Christicolam rerum exitus orbem ,
 Aurea quāmque manet series ? sed pangere tanta
 Non nostræ est operæ , nec , sese ut talibus ipse
 Jam dudum accinxit , studiisque paravit , & usu
 Multiplici , cunctis defunctus honoribus , illum
 Ad supremum apicem noto jam tramite longè
 Deductus , magnâ curarum & parte probatus ,
 Illius quæ dudum humeris incumbere sueta .
 Illa canant alii , magno quibus ore licebit ,
 Aut quibus ipse sui partem concesserit cœstri ,
 Quo juvenilem animum numeros detorsit ad istos ,

Musarum summus quondam , Phæbique sacerdos.
 Nec taceant , illi splendor longo agmine quantus
 Per veteres defluxit avos , bellisque , togaque
 In patriis claros per saecula plutiima fastis.
 Dotibus ille tamen male commendetur avitis,
 Iu fontem qui tot , verso velut amne , refudit ;
 Nominis & famam qui R O S P I G L I O S I U S abdit
 Sub C L E M E N T E latens , quodque hinc decus , abdi-
 cat omne ,
 Sed quod præsentes claret , serisque nepotes.
 Orsus illa quidem nostros superare fatimur.
 At nec longè operæ fuerint credenda minoris
 Inlyte quæ nobis P R I N C E P S das ipse canenda ,
 Romanæ quamvis te pompæ excerpis , & hic te
 Subductum à turba media ipsa L U T E T I A cingit ,
 Ingeniique premis (fas sit mihi prodere) dotes
 Petmultas , quanto nisu studiorque minores
 Ostentare alii , mensuræque addere certant .
 Qui sis interea nec te , Vir summe , videndum
 Usque negas . Ultro te , cum res exigit , offers
 Ingentem , dignumque tui , cum postulat usus ,
 Excursuque velut facto , sic deinde latenti
 Te redditis vitæ , lux ut se attempret apte
 Dulcibus his tenebris , nec dedigneris amicis
 Privati alloquij quibus impertitis honorem ,
 Divinæ quoque mentis opes affundere largas .
 Illas ô superi tenet admiratio quanta ,
 Intima dum mentis rimaris acumine cuncta ,
 Iudiciisque notat dum calculus omnia prudens
 Et certus , circum nullis erroribus actus ?
 Quæ rursum ascito dum tu velamine celas

* Legitur in historiâ Pistoriensi anno 1316. Gentem
 Rossiglosiam , iam tum illustrem , & magnis affluentem
 divitias Lamporecio Pistorium immigrasse , ibique sedem
 fixisse . Credebatur autem eadem Gens aliquot ante sa-
 culis Mediolano Lamporecium concessisse .


Ut spernens, fastidiri quis nescit honores
 Jam tibi; prælongo sic copia viluit usū,
 Et tædet laudum saturum, famæque prioris?
 An non tu, Patruo qui sub Duce, & auspice summo,
 Regnum es Christi olim & sanctum moderatus ovile?
 Imperij qui summi Atlas, columénque secundum
 Es visus cum Fratre, ostri nuuc Principe sacri,
 Qui pietate orbem & meritis ingentibus implet?
 Num tu, Romulidum qui Gloriam clara, decūisque,
 Deliciæque fuit; generosus quippe, benignus,
 Amplius, largifluus, cujus nec munera metâ
 Includi poterant, nec Munificentia fine,
 Quid circumpiceret, qu'a sese effunderet usque?
 Gratia pigra fuit, clausa indulgentia, nulli.
 Non secus ac prædâ gaudet venator opimâ,
 Mercator lucro, capto Dux hoste; merenti
 Cùm dare contigerat, rebat is id ipse Triumphos
 Essè tuos, cuncta interea discernere velox;
 Nec quis erat minimum tibi fucum obtendere cauius.
 Námque etiam nostrâ quid non rimaris in arte,
 Istâ in Pieriâ, in nostris numerisque modisque?
 Te nullæ hic fugiunt venetes; nec si qua probari
 Digna minùs. vivit tam gnaro in Judice certè
 PATR U S, Aonii celeberrima gloria coetus.
 Jam sceleris purus, quámque es vitæ integer idem,
 Moribus haud tantum, quales Natura benignè;
 Insevit, vel quos studio Sapientia juncto
 Excoluit, verùm & C H R I S T I quos perpluit alma
 Gratia, purpureo decori decus addita summum?
 Quis digno magnam illam animam celebraverit ore?
 Carmine quis digno pectus tam dixerit amplum,
 Quò curæ vis esse tuæ qui sorte prematur
 Immeritâ, casus quisquis patiatur iniquos?
 Ut taceam reliqua, at certè poteritne sileri
 Quàm Regi & Regno devotus, pectore fortí,
 Invictóque animo, propugnans Gallica jura,

Asser torque potens, Romanâ es visus in urbe;
 Non solum fortem, cùm res tempûsque vocabant;
 Præstando Gallis animum, ac subeundo labores
 Innumeros, sed nec parcendo sumptibus ullis,
 Inque tuos veluti totâ migrante penates
 Galliâ, & his Romæ veluti communibus usâ?
 Quis numeret, longis quâ multa impenderis annis;
 Unde tibi Rex est, cum Regno oblitus amore
 Perpetuo, & meritis quæ nulla obliteret ætas?
 Atque hinc Terra tibi nunc patria creditur esse
 Gallia; fecisti nimirum & amore perenni,
 Officijsque tuam, vicitque electio sorte
 Natalem, affectu vicit patria ista secundo.
 Nempe & adoptivis interdum gratia natis
 Major inest, ac Naturæ plerûmque repugnat
 Judicium, emendans & quæ peccaverat illa.
 Nimirum & fluvius natalem deserit oram,
 Illâ deditans semper decurrere, terras
 Et tigat externas, ditatque feracibus undis.
 Talem te spectat tua lœta ECCLÆSIA, dudum
 Spe tracta ambiguâ, viluæque in veste, tuóque
 Nunc sperans radiare, situm detergere, sueto
 Splendore, ac famâ non tantum & nomine solo.
 Scilicet experta est propriâ in ditione recenter,
 Rustica dum curis CORVILLA addicta levandis
 Ante erat instanti modò collapsura ruinâ:
 Sed lapsum afferuit minitanteim, illâmque nitori
 Restituit veteri tua MAGNISCENTIA, quando
 Nondum ad Sponsam aditus, Româ renuente, patebat,
 Hincque illam, spatio propiore, occultus amator
 Ambibas, pia quâ possent commercia jungi.
 Vidi, secretum quos junxit fœdus, amantes
 Ardore haud alio nutum expectare paternum,
 Sollicitosque dies, & amaras ducere noctes,
 Interea spes occulti solamine forsitan
 Pascere colloquii, missive hinc inde tabellis.

Sic , nutum ad similem , Corvilla est commoda vobis
 Aptaque visa faces admittere conscientia vestras .
 Quare interdum illic voluisti figere sedem .
 Nec tuus hic certe secessis inutilis illi ,
 Nec deses : namque es propior sic visus abesse ,
 Ad Sponsæ ornatum , vel sacra ad commoda curas
 Ut fueris conferre omnes promptusque sagaxque .
 Cura fuit cuncta à notis pietate ministris
 Doctrinaque regi , partisque ut ritè secundas
 Impletantque vices , te sufficiente perennem
 Ex illâ statione animum , virisque recentes .
 Nec certe exemplis caret hæc tua pervia virtus .
 Terræ in visceribus latitans ita scilicet aurum ,
 Tam longè semota licet , cœlestia fingunt
 Corpora , & occulti ditant splendoris amictu ,
 Quem quis non stupeat tantos penetrare recessus ?
 Gurgite in immenso simili ratione lapillos
 Absentis dicunt radiis coalescere Solis .
 Sic absente & tu moderamine gnaviter utens
 Quâ licuit , clarum fulisti , & sydus amicum ,
 Fœcundumque . Ecquid cum mox propiore micabis
 Lumine ? cum totum præsens jubar exeret orbem ?
 Gemmarum splendorem an non lapis induet omnis ?
 Fortunata dies , cum demum affulserit illa ,
 Tamque diu dilatæ aderunt cum tempora tæda ,
 Cum dabitur veras audire & reddere voces ,
 Extera quas tantum valuit committere lingua
 Huc usque , aut scriptis mandare reciprocus ardor .
 Quamvis sensa animi signis impressa disertis
 Hic fuerint , oculos avidè , mentemque morata ,
 Quam magis affatus præsensque frequensque beabit ?
 Splendens illa Agni poterit mox Sponfa videri
 Mundo ornata auto , bisfenis fulgida gemmis ,
 De Cœlo delapsa , novum Cœlum , & nova Terra ,
 Pronubus ipse adero , sacrâ comitante Thaliâ ,
 Atque exultanti dabitur præcedere gressu .

Ille ego , cui felix Hymenæi cura canendi
 (Illam námque meus cuivis præcerperit ardor)
 Istas in voces erumpam. S P O N S A beata,
 Quæ genus à primis ducens Heroibus , alto
 Clara fædes solio , votis hinc mille petita,
 Dote licet parvâ , ni dos sit maxima virtus,
 Primâque nobilitas , & glotia nominis ingens,
 Totas pande fores. Tuus advenit ecce , superno
 Ille caput qui rore madet , madet ora , manuisque,
 Et cuius primam tornatilis , aurea , myrrham
 Dextra tibi stillans Hyacinthis plena resulget,
 Tu violas manibus , manibus tu lilia plenis,
 Et frontem redimita rosis Sponso obvia defer.
 Floribus omnigenis valles ne sedula cesses
 Et montes spoliare tuos , & orentibus illum
 Spargere muneribus ; nec fragrans desit amomum,
 Ac dilecti oris tandem casta oscula liba,
 Et sobolescat amor numeroso pignore vester.





AD ILLUSTRISSIMUM
 ECCLESIAE PRINCIPEM
 D. DOMINUM
GABRIELEM DE VOYER
 DE PAUL MY,
 EPISCOPUM RUTHENENSEM.


Figo iter emensus longum es, jámque excita Fama
 Nuntiat ad fines te pervenisse Ruthenos,
 Adventumque tuum, PRÆSUL venerande, superbâ
 Percelebrem pompâ, festóque fuisse Triumpho?
 Nec te ubi dimisit dilecta Lutetia, blando
 Mox etiam patrij Turones potuere morari
 Amplexu, ad Sponsam cursu quin ferret anhelo
 Connubialis amor, nexusque abrumperet omnes?
 Quin etiam auspiciis te jam felicibus usum
 Prædicat illa eadem, & resides te narrat habendas
 Imperij cepisse sacri, moderamine jámque
 In primo eximiis canit inclarescere gestis.
 Tam vigilis quid non spondent præludia curæ?
 Nec tu certè hic es, qui non moderamen ad illud
 Naturæ dotes, dotelque invexeris artis
 Omnipotens, ut qui pridem pietate probatus
 Insigni, claro Doctrinæ lumine fulgens,
 Es visus, nondum mandato munere, Præsul;
 Sic talem, virtute, animo, téque ore ferebas.
 Plurima te viduis jam dudum Ecclesia votis

Ambibat , vicit fato meliore R U T H E N A ;
 Visus & es , solari unus qui denique posles
 Illo tam celebri privatam Antistite , * Regni
 Quem nunc prima tenet Romanæ proxima Sedes .
 Oitensus fnerat Sedi tantum ille Ruthenæ ,
 Non datus ; aut felix , propria hæc si dona fuissent ,
 Visa est illa nimis revocatum est munus ; amarâ
 Nec licuit de lege queri ; sic Numine jussum
 A supero , superique vices qui Numinis implet .
 Ac certè (placet hic etiam quæ vera fateri)
 Immerito prorsus non Urbs evicerit ista ,
 Sacrorum Antistes tantus , morumque Magister
 Illi ut jura daret , C H R I S T I que hic sceptra teneret ,
 Sceptri rectorem primis qui rexit in annis .
 Urbs caput Imperii rite hunc sibi sumpsit honorem .
 Regis & intererat , primis qui sedulus illum
 Artibus instituit , rectum instillavit & æquum ,
 Et , quas miramur , Virtutum semina jecit ,
 Se talem ac tantum ne Regni impenderet oræ
 Extremæ , longè fulgeret luce remotâ ,
 At præsente fide magis opportunus adesset
 Consultor , cùm res , subitus cùm posceret usus ,
 Junctaque perficeret cœptum Prudentia munus ,
 Ac monitus primo fluenter è fonte perennes .
 Communi jactura bono privata rependi
 Visa est illa nimis ; tulit hæc dispendia fortis ,
 Æquo saltu animo , Sponsæ cessitque secundæ
 Sponsa prior , tanto placans solamine luctum .
 Gratulor at tibi nunc , Tellus ô patria , damno
 Hoc tibi , quæ licuit , sarcito , & honore recepto ,
 Quô certè invideas alii (fas dicere) nulli .
 Præsul namque tibi , multo qui clarus honore ,
 Præsignis meritis ; ac si quid amabitur extrâ ,
 Ordine prælongo qui stemmate fulget avito ,
 Heroum sanguis , bello quos parta , togâque

* Harduino de Perefixe ad Parisinam sedem translatu.

Gloria multifidâ commendat origine ductos;
 Et quorum est alios complexa propago penates
 Innumeros, proprio pariter splendore coruscos,
 Tangor amore tui, Sedes ô patria, rufus;
 Ac tandem bis quina ad te post lustra revertor,
 Nempe vagus medio toto hōc qui tempore cessi.
 Testis adesse tui, fruiturus & ipse, decoris,
 Advolo; Pegaseis saltem me sentio pennis
 Deferi, tua celsa super fastigia sisti,
 Pastor ubi tuus ille sacrī operatur odoris
 Thure pio, serit æternæ præcepta salutis,
 Errantes vestigat oves, propriisque repertas
 Defert ipse humeris in ovile, ac pascua læta,
 Pascua divini semper viridiania verbi.
 Tam longè quæfita & nunc ovis ardeo reddi
 Ipse etiam, fierique è tam felicibus una.
 Rumpere cura moras cupidæ nunc unica menti
 Incumbit, Terra exilium nempe omnis amanti.
 Hæc meditans accedo tuis, ô Patria, votis
 Interea, junctâ superum prece Numen adorans,
 Et chari adposcens longum tibi Præfulis usum,
 Abramios tecum, vel plures, impleat annos.
 Et genus Abramo promissum ut sydera vicit,
 Par in Te C H R I S T O ille serat, cœlestibus addat
 Civibus, in superos abscedas tota Quirites.





**AD ILLUSTRISSIMUM
DOMINUM DUCEM
DE MONTAVSIER.
REGIÆ DELPHINI
INSTITUTIONI
P R A E F E C T U M.**

PIERIDES, nobis non frustra sæpe vocatæ;
 Nec nimium nostris (quæ vestra est gratia) votis
 Difficiles, hinc æterno mihi thure colendæ,
 Materies MONTALSERIUS mihi carminis ampla
 Nunc surgit; nunc est animis, nunc viribus usus,
 Herœm quamvis non me fert ire per omnem
 Impetus, illius totas hōc carmine laudes
 Complecti, nam quis tantus sufficerit ardor?
 Delibasse satis fuerit, quæ summa sagacem
 Et justo duci meritorum examine doctum
 Impulerint Regem, tam charum crederet illi
 Ut pignus. Dici sat sit, quam præstat honori
 Ille parem sese, quantisque hunc dotibus implet.
 Sufficeret certè vites ille ipse, canendus
 Qui mihi, si laudes alias, noménque, decūisque
 Aggrederet; posset latéque recludere fontem
 Ille suum, possem ipse ejus stagnantibus undis
 Impleri; nam quis vestro se largius amne
 Proluit, aut vestras ecquis tenet aptiūs artes?

Non , alias inter , quarum decus eminet ingens ;
 Et rerum quæ summa tenent , seu bella gerantur ,
 Seu sit Pace quies , quâsque omnes impiger hausit ,
 Est dignatus pariter clarescere vestris .

Esse mihi vobisque potest ille alter Apollo ,
 In vestro residere choro moderator ; at idem
 Hic neget & sese propria in præconia , mutum
 Et sinet esse meum , surdumque in carmina plectrum .
 Vos animate , Deæ , solitóque accendite cantu ,
 Vel majore etiam , dum majora ipse capesso .


Fallitur , humanæ cui creditur indita menti ,
 Et nullius egens Doctrinæ , ad maxima quæque
 Incrementa suo tendens molimine Virtus .
 Tam felix hominum sese , & tam nobile nullum
 Profert Ingenium , tam nullum sydera nascens .
 Cernit amica , altæ supera ut fastigia capter
 Virtutis , curâ si destituatur ab omni .
 Communis lex ista aliis mortalibus æquat
 Reges , jam rerum dominos , Regumque futuros
 Hæredes : Mater Natura est omnibus una .
 In Regesque ipsos , & qui regnantur , habendus
 Publicus ille reus , fontem ut quicumque veneno
 Inficiet , Regum fuerit qui mentibus author
 Absque labore artem rectè sperare regendi ,
 Nec potius studio debere incumbere longo ,
 Optabit dignâ qui dextrâ sceptrâ tenere .
 Fortem certè animum nasci , non arte parari
 Crediderim , roburque illud dotem esse paracris
 Interiorem animæ , præcelsæ , ad maxima natæ ,
 Et quæ se nullo quamprimum hortamine prodit .
 Ampitryoniadæ properat cunabula virtus
 Illustrare sua , & geminos hîc comprimit angues ,
 Hinc sese ad reliquos accingere visa labores .
 Nec tantum in cunis ; utero vis exhibet illa
 Séque in materno . Notum est , certantibus olim
 Ut fuerit geminis hic campus , arenaque luctæ


Occulta; ut fratrum jam tunc animosior alter,
 Impos nascendo fratrem prævertere, vitæ
 Ut qui jam stabat propiore in limine, cæco
 Extulit in lucem Matris de carcere dextram,
 Et primum, ut licuit, nascendi invasit honorem.
 Quisque puer rebus præludit sæpe gerendis.
 Scintillant, & se produnt mox signa futuri.
 Explorat teneros nascendo Leunculus unguis,
 Humentesque jubas vel in ipso concutit ortu.
 An fileam, Regis quām nostri ætatula prima
 Excelsi documenta animi dedit ampla, dat ipse
 Nunc quoque DELPHINUS cunctis miranda, sapitque
 Jam puerile nihil? Sed quantum in Patre secuta
 Addidit ars, & cura: ac quid non addet & idem
 In nato cultus, cultum si forsan eundem
 Dicere sat fuerit, major dum nempe paratur,
 Dum, MONTALZERI, dignate hoc munere nuper,
 Cura paterna tuæ spondet coitatemve, ducemve
 Se fore, dimidij nec vult se nomine Patris
 Signari LODOIX, mentis cum corpore cultor,
 Eſſe volens tecum, partes vel obire supremas?
 Solis nil magnum celsis natalibus actum,
 E quocumque luto fuerint præcordia fiſta.
 Quem fortē Naturæ creat, facit unicus usus
 Prudentem, cultus doctum, experientia cautum.
 Non usquam possit Regis prudentia major
 Elucere (tua quamvis fiducia possit
 In curâ tota, inque tuo moderamine fisti)
 Officij quām cum partem putat ille suptemam
 Eſſe sui, dignum ut fingat, quem surgere regni
 Hæredem gaudet, maturèque ipfe fruatur
 Interea proprij longâ mercede laboris.
 Regius à solo natus præcepta parente
 Permula admittit, solo & dignatur ab illo
 Sæpe emendari, reliquis monitoribus asper,
 Inferiùs dum cuncta videt, subdique recusat

Subditō ; & imperium renuit dum ferre minoris.
 Rex tamen hoc , quacumque potest rarione, periculum
 Avertit , cavitque , istud te munus obire
 Dum jubet , elegit dum te , Vir maxime , salvo
 Quem possit Princeps quocumque pudore vereri,
 Posset , & his primis , & se ad volventibus annis,
 Mirari , vitæ decursu denique toto.
 Nempe vetusta tibi , sceptisque affinis origo
 Est olim , & propriis quam tu virtutibus æquas.
 Ingens parta tibi bello est & gloria pace.
 Artibus , & studiis polles utriusque Minervæ.
 Candidior nec te , nec sit generosior ullus,
 Quique magis rebus fortis se præstet honestis.
 A recto non te latum detorserit unguem
 Pendulave ambitio , vel habendi plura cupido.
 Alta sapi , meditati animus sublimia gaudet,
 Sic tamen , ut nolis etiam inferiora latere;
 Una tibi meta est quidquid compiebitur orbis.
 Deficiam numerans quot , quantas , munus ad illud
 Est afferre datum , Divum haud sine numine , dotes.
 Te talem tulit ista bonis communibus ætas.
 Scilicet , abjecta qui mente , monebit alumnū
 Regia , digna & se : spirare excelsa docebit?
 Instituens Aquilam tenebris quæ Noctua gaudet,
 Ore pati Solem recto , intentoque jubebit?
 Altas an doceat nubes superare volatu?
 Depressos inter ramos , vel noctis in umbra
 Sublustrī , monitus , doctrinaque tota latebunt.
 Effigies sit Discipulus , sit imago Magistri,
 Anne & inhumanus populi instillabit amorem,
 Ut Regem haud tantum , at Patrem se præbeat , etiam
 Communem , profugæque patens virtutis asylum?
 Indoctus , qui vix etiam præsentia cernit,
 Author erit , libros ut consulat ille , fidele
 Ceu speculum , sequē h̄ic vetus omne revolvat in ævum
 Historiæ ductu , h̄ic aliis se comparat , infia

Cuncta domi cernens , nocuo plerūque tumore
 Dum quis regna premit sceptro subjecta superbo,
 Scire magis metuit , quād dignatur ; id esse
 Nimirum Imperij credit frānūque , modūque;
 Et timet , ipsa sibi ne Doctrina imperet , inque
 Officium redigat , laxis dum fertur habenis.
 Imperium putat , Imperio se subdere nulli,
 Cūm Jus , cūm Ratio , cūm sit Lex nata præesse ,
 Nec nisi recta regat , deflectere nescia , norma.
 Nempe incompositi non est componere ; nec qui
 Ordinis est expers , & se vagus errat in ipso ,
 Ordinet ille alios ; nec qui cadit , erigit idem.
 Non , sana Imperium tollit Doctrina , sed ejus
 Quod justum est firmat ; simplex ut vixtus obesum
 Adducit corpus ; vacuat quocumque redundat ;
 Ad sanūque habitum , molēque reducit ad æquam ,
 Conscius ignaræ qui Princeps mentis , id unum
 Molitur , Majestatis velamine magno
 Ut vitium celet , vocis gravitate , severus ,
 Tristis , ne dicam toruus , rarusque , vel asper
 Affatu : Ut similem fas sit dixisse colossis ,
 Quos magnos , validosque putat se fingere fusor
 Ignarus , latè si cruribus exhibit illos
 In diversum actis , distentos , ventréque pando :
 Aut , quos forma foris , speciēsve heroīca quædam ,
 Vel divina etiam commendat , terra , lapīsve
 Interiūs dum sunt , vel solum hīc squaliet inane .
 Quantum à distento magnum , quantūque recedat
 A tumido solidum , noscet Rex iste futurus ,
 Te monitore . Sciet te consultore fideli ,
 Quando Dei fertur signata in Rege potestas ,
 Non illam fulmen , non illāmve esse tridentem
 Appictum , aut quidquid juvet ostentare , timendum
 Quo se quis credat magis esse , magisque colendum .
 Est cœlo affulgens radius ; sed major & idem ,
 Splendidiōrque , Deum cum quis ratione referre ,

Justitiáque instat , doctrinæque addere lucem
Moribus innatis , doctrinæ Regibus aptæ.
Nam sine delectu cuicunque appellere mentem,
Vanis vel studiis , alieno aut tempore tradi,
Utilibus quoque , sana neget prudentia Regum,
Inque tuo certè tua non patietur alumno.
Nota est illa nimis , doctrinæque ambitus ingens
Ille tuus , quidvis complectens Principe dignum.
Hæc quoque digna docens , non h̄ic insistere raucus
Cogēris ; non h̄ic tua tota industria , totus
Sudabítque labor , virtutem Principe factō
Ad quamcumque tuo ; cum jam (fas dicere) Conjur
Et tua , sub cuius transacta Infantia ductu,
Illa , cui Romana etiam Cornelia cedat,
Illa , potest solo quæ dici Fœmina sexu ,
Uraniae potius , vel nomine digna Minervæ ,
Omnia solerti mandarit semina curâ ,
Tempestiva solo poterant quæcumque videri.
Jamque tulere suam frugem felicia , quanvis
Inversæ haud fuerint , sed tantum credita glebæ
Molliter aptatae , nec aratum hoc senserit æquor .
Quid non speretur , tua cum cultura subibit
Mascula , & attritu quando splendescere vomer
Incipiet , generosa magis cùm semina doctâ
Ipse manu jacies ? non respondebit avaris
Hæc tantum votis , superabit at omnia messis .





AD PRÆSVLEM
DOCTISSIMUM,
SIMULQUE PISSIMUM,

*Cum mihi esset visus Doctrinam de Atomis
non improbare.*


Ergo atomorum etiam Doctrinam amplecteris
ipse,
Præsu l, Doctrinâ cum Pietate pari?
Arrident hæc parva tibi corpuscula? jamque
Hæc quis Ridiculis annumeranda putet?
Fingantur quacumque placet levitate moveri;
Incipiunt per te pondus habere suum.



AD SERENISSIMUM PRINCIPEM
 EMANUELEM THEODOSIUM
 DE LA TOUR D'AUVERGNE,
DVCEM D'ALBRET,
S. R. ECCLESIÆ CARDINALEM
D E S I G N A T U M .

JACTET præsentes Domus inlyta Martis alumnos;
 Et veteres , Belli fulmina , jactet avos.
Jactet & illa eadem , quâ se propagine fundit ,
 Europam amplecti stemmate visa suo.
 Non decus Historiæ fulget sublimius ullum.
 Sæcula tranabit Gloria nulla magis.
At tu , CELSE micas proprio quoque sydere PRINCEPS
 Sydereo vultu , sydereaque animâ.
 Non tibi , Pacificâ virtute , sacræque Minervæ
 Artibus , & studiis , Laurea parta minor.
 Ingenij te cingit honos ; titulisque paternis
 Marte tibi proprio congeris ipse novum.
Auget & à proavis ductum tua Purpura nomen:
 Bis namque es Princeps , híque fuere semel .





EPICEDIVM

IN OBITUM ILLUSTRISSIMI VIRI

JACOBI DE MARMIESSE,
IN SENATU TOLOSANO,
per sex annos Consiliarij integerissimi , per
octodecim Regij Patroni facundissimi ,
per sexdecim Præsidis infulati Augustissimi.

*Ad illustrissimum & Reverendissimum Episcopum
Conseranensem , amantissimum
eius fratrem.*

Pervigil A N T I S T E S , morum geminate Magister ,
Exemplo moderans , eloquioque docens ;
Totum qui superis ultrò te nutibus aptas ,
Lævaque quem sortis flamina nulla movent .
Chari conceptum Frattris de morte dolorem
Sat validis animi viribus ipse domas ;
Te satis obfirmas , cælesti Numine plenus
Qui requies aliis , & medicina venis .
Talem te frustra solaminis auctor adirem ,
Vulnere penè parti saucius ipse simul .
Tangit me luctus pars penè domestica : multis
Sic sibi me meritis applicuere Lares ;
Obsequio sic ipse omni , sic hæreo cultu ;
Externus nec jam noster habetur amor .

K ij

Securus de te , proprio sat robore firmo;
 Solamen quero , subsidiūmque mihi.
Prosequor illustres , possum quo carmine , Manes;
 Hæc est officii meta suprema mei.
Surdos extremā cineres hâc voce vocare
 Vult Musa , & tanto solvere justa Viro.
Nam quid viventi non debuit ? ore favente
 Quos dabat ille animos , quaque juvabat ope?
Non alii se gaudebat magis illa probare,
 Acrius ut nulli judiciūmque fuit.
Non animi ; doctas exculti mille per artes,
 Non ullis caruit corporis ille bonis.
Ille Tolosanum rexit sic ore Senatum ,
 Facundo ut flueret non Cicerone minor.
Nec semel , atque iterum , paucis vel floruit annis ,
 Lustris sed multis continuatus honos.
Tædia nec tantum subierunt nulla , sed usque
 Est expectato lingua soluta sono.
Quin eadēmque fori facundia summa , theatro
 Desiliens , proprium norat habere decus.
Planipes incedens , nulloque adjuta cothurno ,
 Eximiam sese , conspicuāmque dabat.
Scilicet omnigenūm fons , & pater usque leporum ;
 Ac semper similis vir fuit ille sibi.
Privatis in colloquiis nec amcenior ullus ,
 Nec sale condiret qui sua verba pari.
Illiis in yultu Charites sedēre loquentis :
 Seria , seu blandos funderet ore jocos.
Sive loqui diffusa , brevi seu claudere gyro
 Mallet , erat promus nectaris ille meri.
Jam verò Astrææ sanctusque , gravisque Sacerdos ;
 Quam solers nodos solvere Juris erat ?
Atque , à Naturâ quamvis mitissimus , æqui
 Quam rigidus vindex , quam fuit ille tenax ?
Cultor amicitiae quam constans persistit idem ?
Quo , promissa semel , ducta tenore fides ?

Illabefacta ævo proiecta est Gloria toto :
 Quin etiam Invidiæ major & illa fuit,
 Invidiam meritis parta admiratio vicit,
 Et qui cunctorum conciliatus amor.
 Ast aliter visum Fatis ; Mors stamine rupto
 Injectit properas invidiosa manus.
 Namque , licet poterat propè jam tetigisse videri ,
 Fixus qui vitæ terminus esse solet :
 Est raptus properè , qui tam se præstitit annis
 Dignum Nestoreis , & sine fæce frui.
 Verùm quem rapuit terris , Mors fecit Olympi
 Municipem : luctus hincque levamen adest.
 Natus adest pariter , magni qui nominis hæres
 Est claræque domus ipse futurus honos .





SATYRA

A D

DOCTOREM SORBONICUM.

E GALLICO DOMINI
D*** Latinè reddita.

NEMO nescit ortam nuper celeberrimam
controversiam, utra præcelleret Lingua,
Gallica, an Latina. Agitata fuit hæc quæstio,
amœbæis Epistolis, inter duos Reipublica litte-
raria viros primarios,

Et cantare pares', & respondere paratos.'

Sed pendente adhuc lite, egere mecum amici
quidam mei, & quorum apud me summa est
authoritas, vellem ut ipse in subsidium venire
Latinae Linguae, quam mea dudum Musa profi-
tebatur. Nec mihi profuit contestari, habere
Linguam illam propugnatorem fortissimum, cui-
que non esset opus supposititio. Voluere, ut lau-

datum aliquod & luculentā signatum notā
 Poëmatium è Gallico Latinè verterem, cona-
 rerque omnes ejus veneres emulari; quod si
 assequerer, saltem in æquilibrio constitueretur
 disceptatio. Nec fuit illis satis versionem ali-
 quam precipere; materiem etiam mihi absque
 provocatione designarunt, Satyram nimirum
 recentem unam, omnium tritam manibus, &
 qua secundissimo plausu fuit excepta; unde fu-
 turum existimarunt, ut major mihi ingereretur
 difficultas, ac indubitator esset Latina Linguae
 dignitas & amplitudo, si, hoc quoque tempore,
 cùm dudum Latinus desit sermo, nec nos nisi
 ex veterum imitatione loquimur, res ex voto
 succederet homini tenuissimæ etiam facultatis.
 Parui igitur, licet hujus generis insuetus labo-
 ri, cùm nec mei sit Genij, nec instituti, alie-
 nis vestigiis pedem continenter infigere. Quare
 ea fuit mens, ut verbum verbo, servili more
 non redderem, authoris tantum sensa summa
 fide exprimerem, ac lepores etiam ipsos, &
 flosculos, prout supeditari è veterum monumen-
 tis potuere, qui illis ex aequo responderent.
 Quæ autem apud veteres nulla, sed Gallica
 omnino sunt, & hujuscæ atatis, ea ex analogia
 supplevi, nec foris prorsus infeliciter. Hoc in-
 terpretis officio, quoad potui, religiosissime
 functus, interdum etiam Genio indulsi meo
 moderatè, nec mihi criminis vertendum putavi

*si quid è meo insererem, quod aptè viderem
posse committi.*



AERIAS inter volucres, & muta natantum
Agmina, queq; solo firmant animalia gressum!
Quā tellus quāque unda pater, quāque arduus æther,
Eminet unus Homo toto stultissimus orbe.
Quid loqueris? bona verba, precor, nec fugerit omnis
Ore pudor. sordens vermis, formica, culexve,
Et quæ dimidia passim reptantia vivunt
Vix animâ; stupidus taurus, fatuæque capellæ
Præcellunt ratione homini: sic hercule, Doctor;
Nec miror tibi mirum, homini qui cuncta regenti
Subjicis, admoveat si quis tibi credulus aurem.
Per te prata virent homini, sua munera Bacchus
Huic debet, sua dona Ceres; huic lubrica lymphas;
Flumina devolvunt famulas; hic sceptrâ potenti
Imperio torquens furiosa animalia frænat:
Edocet hunc Ratio, firmat Sapientia; dotem
Hanc homini tribuere Dii, sots illius ista,
Hoc fatum; sed & hinc fatum magis esse, magisque
Insanire hominem stultâ hâc ratione, probabo.
Dices; ad Satyram placet hic tibi campus; & illi
Commodus est equidem pulchrè tibi visus, amoenus;
Ut captes risum; per me licet: attamen idem
Serius ista loquens istis ridebere verbis.
Nil minus: Et verax, & nugox serius; æquum
Tu mihi te præbe non inficianda loquenti:
Mox, minus arridet si quidquam, insurge locuto:
Illa quid est Ratio? quidnam hæc sapientia? nempe
Omnia quæ justo pendit libramine, quamque
Nulla cupido movet, quæ semper passibus æquis
Incedit, gravibûsque; velut Dux ille Senatus,
Plurima quem stipat venerantum turba Clientum;

Sedemque ad Themidis supplex dedit : at illo
 Äquanimo , quo se tumidè sapientia jactat,
 Quid magis ignotum ? quid se minùs exhibet aptè?
 Quām rarusque homini , quam nullusve illius usus ?
 Provida congesto formica indormit acervo ,
 Dūmque nivalis hyems aquilonibus asperat undas ;
 Verti sylvifragis creduntur & omnia flabris ,
 Illa latens , tepidâ fruitur secura quiete ,
 Frumentique opibus ditata , æstate paratis
 Pascitur ; at nunquam , mutatâ mente , labori
 Parcit , ubi cœlum novit rediisse serenum .
 Cessantem messis viderunt tempora nunquam ,
 Nunquam hyberna suis avidè prodire latebris .
 Ut Caper illius bene farta palatia claudit ,
 Sic jejuna Aries reserat , cura annua perstat
 Illa , nec aut nimio crescit , nec deficit arcto :
 Quod satis est , metâ parat æquè utrimque reduc[t]a .
 Quid tuus hic sapiens ? an non vertigine fertur
 Assiduâ ; mente huc dubiâ , nunc volvitur illuc :
 Fluctuat , incertus sibi quid propositve , vel obſit :
 Quod placuit damnat , mox se in damnata resolvit ;
 Uxorem ducam , dicebat Marchio nuper ,
 Subdere colla jugo , sponsalique ora capistro
 Præbere indocilis . Socialia vincla subibo ?
 Spontéque famosis jungi properabo maritis ;
 Bussrus historiâ modò quos celebravit amarâ ?
 Ac me ridendum subsannandūmque propinem
 Cantanti populo , digito monstrérque bicorni ?
 Hæc , sine me , gaudent alii in ludibria verti .
 Duxit at ille tamen , nec non qualem antè timebat ;
 Interea celso sibi credit ab æthere lapsam ,
 Cui non Penelope , cui non Lucretia certet ;
 Junonémque sibi thalamum straville fidelem ,
 Advigilare sacro Genitalia Numinia fulcro .
 En tibi , quid sit homo , quæ mens cœlo hausta benigno ?
 Lubricus , inconstans , hinc inde volaticus errat ,

Improbat occiduā, primā quod luce probarat?
 Est gravis ille aliis, ipsi sibi tristis, & asper;
 Flectitur, & cedit minimæ quoque flatibus auræ:
 Nutat & impulsu, quin & quassatur ab omni.
 Ejus nunc cervix galeata, sepulta cucullo
 Nunc premitur; mox, primo illum revocante theatro,
 Personâ rursus sub eadem ludere gaudet.
 Hic iter ad celos avidè molitur honores,
 Ipsum ad sceptrum etiam; * sceptri mox tædet adeps,
 Ac fastiditum magna nituntur opum vi
 Emercati alij; sed fert quoque mobilis illud
 Sors aliò; potitur, qui nil sibi tale parabat:
 Sic homo nunc aliis, sic nunc sibi dissidet ipsi.
 Ille tamen, mentem cùm pastus mille chimæris,
 Credit Atlantæis titubans se pondus olympi
 Ferre humeris, solique putat sibi sydera volvi.
 Credit fortè, inquis, non rectè, at subdita fandæ
 Illius parent animalia cætera sceptro.
 Menti certa tuæ sedet hæc sententia, Doctor?
 Hocne ratum censes? Demens, i, scande Pyrenæ;
 Atque hic ursæ aude fidens occurrere foetæ,
 Imperio fretus Naturæ, hoc jure verendo.
 Pareat edicto Libyci pastoris, & antris
 Cedat Barcæis profugum genus omne Leonum;
 Obsquiosa homini tunc fas animalia credi.
 Mitto ea, quæ jugis probat experientia. Vastum
 Sed reget hinc orbem, qui se nec rexerit ipsum;
 Qui juris non ipse sui? quot nempe Tyrannis
 Ille subest rerum Dominus, Rex ille supremus?
 Mancipat Ambitio miserum, Venerisque libido,
 Auri insana sitis, vitiorum & cætera monstra.
 Vix oculis sparsit nocturna papavera somnus:
 Rumpe moras, strato te proripe, dicit avaro
 Sævus amor nummi. Respondeat, pollice dextro
 Somnum detergens, cubito nixusque sinistro.

* Hic innuitur recens Regni Polonia abdicatione.

Parce fatigato : non otia segnia posco,
 Tantillam at requiem; jam jam mora nulla: Repugnat
 Vix aurora rubet , vix primum mane fenestras
 Intrat ; adhuc fessos totâ sopor irrigat urbe.
 Surge. Quid ergo instat ? ventis da yela secundis;
 Impiger Oceano ne te committere cessa,
 Credereque infidis aude temerarius undis
 Longinquas Orientis opes , fragili rate currens
 Aequora , quæ gemmas , ditésque reportet odores;
 Et piper extremis vñale , & zingiber oris.
 At verò est pinguis mea sat fortuna ; carere
 Hâc possum , dulcem nunc abrumpente quietem.
 O miserum , semper nisi parta pecunia crescat !
 Pauper erit , qui vel summo nihil addet acervo.
 Si non sufficient labor , atque industria , mille
 Adde dolos , adde infidias , genus omne rapinæ,
 Et nec ab irato timeas Jove fulminis ignes.
 Ingentes animæ fraudem & perjuria rident,
 Et quodcumque scelus , nam sacra Pecunia crimen
 Delet , & est insons quæcumque est aurea culpa.
 Ut mentem , sic & corpus spes fulgida lucri
 Obduret , doceatque famem sprevisse , sitimque;
 In mediis & egere opibus , famulifque carere:
 Et solùm non curta , at sit quoque nulla supelleret;
 Nec dubites potius jugulum præbere secundum,
 E parto quām quis minimum decerpere cogat.
 Parcere sic nummis cur præcipis ? accipe , ut hæres
 Prodigus , & Lureo misero succedat avaro,
 Captivo potiens auro , quod inutile condis;
 Curribus & totam , luxu , pompâ obstruat urbem;
 Injiciatque moras , & prætereuntibus obster.
 Ergo age , Nauta vocat , flatu vocat aura secundo.
 Sic lucri vesana fames compellat hiantem,
 Quémque dies noctésque ardens amor urget habendi.
 Forsan apud quemvis malefusa pecunia tantas
 Non habeat venefes ; yoto non vivitur uno.

Hoc equidem fateor; sed cui non illa soporem
 Excutiet, certè Ambitio levisomna fugabit,
 Per mediasque aries, per mille pericula, mortem
 Tramite Cæsareo, vel quærere vulnus honestum
 Imperiosa adiget, plebeia ut fabula fiat
 Historiæ, vel venalis cantetur ut heros.
 At dices, Vitio Virtutem, garrule, vertis.
 Bellica nam vitium si vis, si Martius iste
 Est furor, hoc vitium virtus est credita semper
 Semideum, vitam pulchra hâc pro laude pacisci
 Qui semper soliti generosè. Insaniit anne
 Magnus Alexander? Dubitas? Insaniit ille,
 Quóque furat certè majorem nemo furorem.

Astuat infelix angusto limite mundi,

*Vt Gyara clausus scopulis, parvaque Seriphos,**
 Et patrii spernax regni, quod legibus æquis,
 Quod poterat justo moderari, & Principe digno
 Imperio, prædabundus se protipit Erro,
 Exulis in morem, cui non domus ulla, laresque;
 Nec stulto potis est cœpto desistere, donec
 Æquet mille solo populosas flammeus urbes;
 Ac tandem effuso, latéque undante cruore
 Ebrius, humanam certet transcendere sortem;
 Adscribique Diis, superumque affectet olympum
 Demens, cornuto qui se natum ab Jove fingit
 Pellice matre, & cui Junonis concitet iras.
 O felicem orbem, si fortè hoc tempore Pella,
 Qualia Parisiis, * Hertæa ergastula, stultis
 Aptæ coercendis habuisset provida, sique
 His puerum clathris frænassent, mente futuri
 Præfagâ. Tutor, consanguineique vocati,
 Consensu unanimi cohibentes, limine primo,
 Debacchaturum tantâ cum strage furorem.

* *Iuvenalis, Satyra 10.*

* *Liberty, stultus Parisiis, in stultorum cellulis ubi
 leberrimus.*

Sed ne, verborum longis anfractibus utens,
 Socratico nimium campo circumvagus erreim,
 Utque relinquatur morum doctrina, minutim,
 Attéque multifidâ, fluido tractanda Senalto,
 Cambræo, atque alij, versu quem dicere non est.
 Signis per facile est; cui sacro in signis honore
 Infula pannosis exemerat ora cucullis,
 Et quem Massilia Pastorem addixerat urbi.
 Quā magis ostentat sese, quāque altior extat,
 Inspiciatur homo. Civilia munera solus
 Ille, ait, exercet, leges & mœnia ponit,
 Moribus ille probis, & solus vivit honestis,
 Jura, magistratūsque legit, Regēsque verendos;
 Justitiā populos & majestate tuentes.
 Sint ista: at faciunt animalia cætera nullis
 Legibus hæc eadem, melius quoque, vindice nullo.
 Mitior instituit Natura & certior ipsas
 Erudiitque feras, quām nos præcepta Sophorum.
 Est illas inter major concordia. Prædo
 Anne lupus spoliare lupum meditatur, & illi
 Ut struat insidias, nemoris specus insidet atrum;
 Infestatve vias, & vi graffatur apertā?
 Cognatis parcit maculis cum Tigride pacem
 Tigris agens: non, Hyrcanis quò latiūs arvis
 Imperet, in partes, studia & contraria scindit.
 Una sævi habitant, inter se & convenit ursis.
 Non timet à simili securus vulture vultur,
 Aëra per liquidum subitus ne devolet hostis.
 Siccis in Libyæ campis visene leonum
 Stare adversæ acies, civilia bella moventes,
 In fratrem frater ferre obvia signa, Tyrannos
 Ut sibi Marte legant, capitique imponere certent?
 Africa tale nefas norunt animalia nondum,
 Sit licet illa novis semper terra horrida monstros.
 Fraternam agnoscit sævissima queque figuram
 Bellua, & unanimes rabiem moderantur utrimque.

Non aquilæ fistunt aquilis vadimonia ; nec de
 Aëriâve plagâ , campi vel jugere bellant.
 Nulla super pullo lis mota à vulpe , sororem
In vulpem. Non cerva sium frigere maritum
 Conqueritur , veneris licet ipsa exæstuet cœstro.
 Sylvatum saltus , secretaque limina linquens ,
In jus non illum segnem vel traxit inertem :
 Nec judex illis congressum indixerit unquam ,
 Hoc sua ridiculo fœdari nomine passus
Decreta ; id mores non admisere ferini.
 Ignorant quid rescriptum , suppléxque libellus ,
Quid raucumque forum , quid purpureusque Senatus .
 Bruta simul vivunt animalia legibus æquis
 Naturam quæ sunt similem fortita , genusque .
 Solus homo , solus , celso sibi ducit honori
Alterum in alterius maestari sanguine , sœvas
Cæco armare manus in mutua funera bello.
 Nec satis est ferro , pyri vel pulveris uti
 Fulmine , sese ipsum genus ut mortale trucidet .
 Nil actum est homini visum , nisi plurima legum
Incubuisse adhuc moles , quamque insuper auger .
 Commentatorum non eluctabile pondus :
Ut strue sub tantâ pressum non amplius **Æquum**
 Emergat , præfocatum subsederit imum .
 Est Oratorum , quos hæc fœcunda malorum
 Fert ætas ; his Garrulitas super addita , sœcli
 Non numeranda inter leviora incommoda nostri .
 Verbis parce , inquis , nec vanè , ac longius æquo
 Te patiare rapi . *Distinguo , posse negando*
Illud adæquate dici ; sed transeat , hoc si
Sumptum inadæquate . Motus homo sentit iniquos ,
 Non tardò , atque animi variis affectibus ille
 Subjacet , hōcne negem ? docet experientia quemvis ;
Ut maris accedit , remeātque reciprocus æstus ,
 Sic suus est homini ; fervens , frangendus at idem
Supremæ imperio Rationis , móxque recedens .

Ut mare turbatur ventis , humana procellas
 Mens patiturque suas , subitusque agit impetus illam ;
 Obtexunt nubes , ratio sed oborta serenat .
 Est à Naturâ vitium quodcumque malignâ ,
 Virtute hoc , etiam minimâ , fateare rependi ;
 Quid tot præclaris , admirandisque repertis ?
 Vecors ille tuus , per te cui bellua præstat ,
 Hac ipsâ è terrâ , sphæris cœlestibus audax
 Mensuras homo nonne infert , scanditque supremum
 Æthera ; præcelsus non ut ferat Ossan Olympus ,
 Ingenij sed tangat apex sublimia quæque ,
 Admoveatque oculis distantia sydera nostris ?
 Naturæ immergit fese , causâsque latentes
 Eruit , humanis illas conspectibus edens .
 Quæ Schola brutorum , quæque est Academia ? bruta
 Dic censor . docet in sylvis quadruplēxne Facultas ?
 Qui sunt hic Medici ? qui sunt Jurisque periti ,
 Purpureis , niveisque humero splendente lacernis ?
 Vera canis , fateor . medicatis sylva venenis
 Nulla infecta fuit , saltus non tabuit ullus ;
 Artéque sylvestris periit fera nulla medentum ;
 Ac neque Doctorum rixâ , & ratione furente
 Auditum resonate nemus , subsellia rumpi .
 Doctrinæ humanæ sed misso examine , certi
 Nos quidquam an firmet , fallax vel opinio ludat ;
 Ut nunc sunt mores , & quo nunc vivitur ævo ,
 Estne hominum meriti mensura scientia ? fertur
 Sic Pater affatus natum , lanugine primâ
 Sparsum , & civilis jam stantem in limine vitæ .
 Vis , ut te procerum circumstet turba , forésque
 Stipet , nate , tuas , te devota ambiat ? audi .
 Rebus in humanis pars est tibi , nate , legendæ
 Optima ; Doctrinam yita , cane pejus & angue ,
 Et fuge te libris & te committere Musis .
 Quot pariunt , quino prægnantes foenore , nummi
 Centeni ? viginti . O ! sat modò docte ; quibus te

Mox cerno cumulatum opibus , quot honoribus am-
plum?

Sublimes illas exerce sedulus artes,
Has cole; & Idaeas vacui dimitte Platonis.
Sola redemptorum tibi sit sapientia cordi.
Disce , ferat quid quæque , & quo provincia censu
Ditior , & redditus qui sint vinique , salisque,
Unde à Rege queas majora emungete lucra.
Rideat utque tibi vultu fortuna sereno,
Torvo sis ipse , & miserari nescius ullum.
Esse cave frustra generosus , at omnia pro sint:
Lucro quidquid agis , loquerisve , appone diurno.
Esto ferox animi , duplex , injustus , avarus,
Durus , & epoto populi pinguesce cruento.
Verum , præ reliquis , unum hoc te , nate , monebo,
Quodque nisi caveas , te cætera nulla juvabunt.
Improba **C**OL**E**R**T**I numquam solertia nudet
Fraudes , nate , tuas , quo pollet acumine vindicta
Ille importunus , tetricusque , inamabilis , Æqui,
Astus non penetrat , nebulas non ille retexat,
His Solem immittens , & lucida tela diei.
Hoc si contingat , perijsti funditus , actum
Est de te ; pressus mox rapta reglutinet unguis.
Sed , bene culta tibi , non hoc passura Laverna.
Cum redditus , ac cum fortuna extreverit , ecce
Grammaticus , Rhetor , Vates , Orator , & Augustus
Heroas coelo deducent , tæque locabunt
Ilorum in sede , & Librorum fronte beabunt.
Laudes nempe tuas illic , titulosque superbâ
Verborum pompa evolvent , atque ordine longo.
Nec solum à doctis omni celebrabere linguâ,
Verum Hebreus , Arabs , Græcus nedum , atque Latinus
Linguæ quisque suæ tè dejeret esse peritum,
Nec linguæ tantum , ast artis callere supremum,
Occultique nihil mentem latuisse sagacem.
Imo argumentis à te extorquebitur ipso.


Dant Superi cum divitijs pleno omnia cornu.
 Omnis homo , dives ; desit sapientia , dives
 Est sapiens ; absit doctrina , est doctus & idem,
 Ingenio , meritis , virtute & sanguine clarus,
 Principibus charus , pulchræ speciosus amicæ;
 Crudelem fisci Præfectus nescijt ullam:
 A pallente color roseus quoque funditur auto;
 Ipfis & rugis juveniles afflat honores.
 Contrà Paupertas & quæ pulcherrima turpat.
 Hâc ad divitias natum Pater inbuit arte.
 His sine præceptis alij , nullo indice fese
 Erudiere ipfos. Numerorum prima , rudisque
 Sat fuit ars illis , atque addere , demere summae
 Si norint tantum , pecorinâ ad cætera mente,
 In multis habiturâ etiam pecudésque magistras.
 I , nunc , Sorbonici celeberrima gloria cœtus,
 I , Doctor , sacris persta impallescere libris,
 Oceanique hujus scopulos , vada naufraga signa;
 Abdita divini , sanctoque adeunda tremore,
 Codicis illius resera mysteria , quôque
 Polles ingenio , sacra illa ænigmata solve:
 Et quô Lutherum , quô Calvinumque revincas;
 Profer opus , celebres evolve & discute lites
 Antiquas illas , aliarum semine fœtas,
 Et Rabinorum doctas dispesce tenebras,
 Ut doctus , paupérque senex , insomnibus æger
 A studiis , possis vigilatum offerre laborem
 Felici ignaro , qui vix duo verba rependens
 Grates dicet ago , torvo quoque forsitan ore.
 Altior aut si fortè gradus te tangit honoris,
 Pileolum cornutum illum , trabeamque magistram
 Abjice , vectigal certa conducere quodvis:
 Largis semper opum scatebris hic campus abundat.
 Angelico Thomæ Scotus consentiat , an non,
 Nil referre puta , nec quid rationibus illinc
 Inservire tuis. Litem hanc patiare secari

Te sine, sitve eadem sine te sub Judice semper,
 Querentique quid est Doctor, stultum assere mecum
 Esse animal, nec sit pudor hoc, mihi crede, fateri.
 Stultus Doctor? ais: de te hoc fateare, Poëta.
 Nil moror, at Satyræ te longius abripit cestrum.
 Ne tempus tamen ipse teram, vana illa refellens
 Fusiūs, evincam certè hoc, nec te hiscere contra
 Posse putem, cùm non juris, sed quæstio facti:
 Verbis parco, ad rem, medio sicque urgeo demum,
 Sic hōc insto uno. Rationis lumine nonne
 Solus homo regitur, suasique animalia solo
 Cætera, & impulsu Naturæ, ad plurima cæcæ,
 Objectum in placitum, & circa quodcumque feruntur?
 Illi num Ratio fax est, & nautica pyxis,
 Est Helice, cujus certâ fecerit æquora luce?
 Vera, utcūmque, hæc sint. Sed quid ratione timenda
 Scire juvat, si quis, quæ scit fugienda, sequatur?
 Nauta monet, maleficio isti ne fide sereno;
 Lucido ab hoc cœlo tempestas imminet atra.
 Ecquid ad hæc lucri ille avidus? solve, inquit, & alto
 Provehe, discriminat adire, est alea jacta.
 Nec jussisse sat est, funem sed deripit ipse
 Impatiens, mox mutandis dans carbasæ ventis.
 Anne juvat Ratio Cluvienum? carmina condit
 Invitis, inquit, Musis, & Apolline nullo:
 Desine nugari, vesano parce furori.
 Hæc illa ingeminet quamvis, & vellicet aurent
 Assidue, monitis exardet, & acrior instat,
 Scriptitat, atque illo carmen recitante, fugantur
 Doctus & indoctus, qui que illi in rebus amicus
 Est alijs, qui convictor, quique advena sedit,
 Notus & ignotus: demum, malus ille Poëtam
 Cùm subit afflatus, videas famulāmque migrantem,
 Certè à Naturâ nunquam discedit Aſellus,
 Ejus at instinctum sequitur, parētque lubenter.
 Conſcius atque sui non provocat ore rudente

Multisonam dulci Philomelam voce querentem;
 Jussum insistit iter , rationis lumine caſſus.
 At vero , irradiet Ratio quantumlibet amplè,
 Illustratque hominem , tenebras non diſcutit illi
 Innatas , mediā nihil hāc in luce tuetur.
 Ejus consiliis agit importunus , ad omnem
 Offendens lapidem , probat , improbat , odit , amatque ,
 Et fugit , & ſequitur , tollit , demittit , & auget ,
 Et minuit , cupit , ac metuit , temeraria vota
 Nuncupat , incertus ſemper . Panthera , vel ursus
 Anne ſibi fingunt , proprias pavitantque chimeras
 Anne voluptates vano phantasmate ludunt
 Aut fugiunt licitas , per acuta ſophiſmata tricas
 Illis innectunt , & vana repagula figunt?
 Cudunt fræna ſibi : Naturæ & ſponte repugnant?
 Quando divinos homini ſacravit honores
 Bellua , quando aras erexit , ibique ferinus
 Suppliciter venerans adolevit thura ſacerdos?
 Quando hominem pluviam , ventosque rogauit amicos?
 Nunquam equidem ; ſed ſæpe hominem fera , poplite
 flexo
 Vidiſ adorantem , quod fuderat ipſe metallum.
 Simium adorari vidit quoque ſupplice cultu ,
 Illiusque hominem tremulè procumbete templis ,
 Ac quoties populis , Nili Crocodilus ad oras
 Thure vaporandus ſumptâ est quæſitus acerrâ?
 Et dices : ſunt hæc odioſa exempla , faceſſe
 Cum Nilo , Nilique Diis animalibus iſtis.
 Execror . Aſt hominem , Doctorēmque anne probabis
 (Sit verbis pudor) Arcadicum non vincere longè
 Hoc pecus , hoc animal reliquis ludibria debens ,
 Ridiculum , ſtupidum , & quo non abjectius ullum?
 Ridiculum dicisne Afinum ? ridetur , at idem
 Ille rudens poſſet ridens ſi forte vicifſim
 Carpare noſtra ; ſoniſ ſi promere ſenſa diſertiſ
 A cœlo detur , mores afininus ut ille

Humanos Censot dictis emendet acerbis;
 Iliis materiem quam nos præbemus abunde?
 Quid reputare Afinum, quid credis volvete mente?
 Multicolore habitu quando vaga turba per urbem
 Occursat totam, ac cæco pais maxima gressu?
 Instrato Medicus cum mulo, homicida togatus,
 Ambulat, atque illi Mors à tergo assidet atra?
 Quid, Doctor, tua quando phalanx fraterna, lutoſa
 Dicta olim, occurrit pellita, hanc ponè sequente
 Rectore, atmigeris stipato hinc inde Bidellis?
 Quid censere putas, quando videt ille trementem,
 Pallentemque hominem, densâ comitante catervâ,
 Viva per horrificam deduci ad funera pompam,
 Spectatorum oculos fuso mox sanguine pasci?
 Quid, si quando illum decimâ fors deferat horâ
 Altræ prope templum, & longas ejus ad aures
 Perveniat clamor, Stygiusve boatus Erynnis
 Litigiosæ, illi centeno è gutture bombi?
 Nec solo auditu, at visu si possit & ipso
 Mirari ascendens, longâ hâc ut perstrepat aula
 Hinc varius Consultorum chorus, inde tumultus
 Procuratorum, confusaque cætera turba,
 Et quæ quisque suâ blaterat de lite molestus,
 De rebûisque novis collati hinc inde susurri?
 O! hominum si tunc osori Æsopus Aſello
 Humanam reddat vocem, quam jure disertis
 Clamabit verbis, Maneat mea Carduus esca;
 Humani in video prorsus nihil; est homo certe
 Bellua mecum, alio quamvis se nomine jacter,





AD ILLUSTRISSIMUM
 ET SPEI MAXIMÆ ADOLESCENTEM
 D. JOANNEM BAPTISTAM
C O L B E R T V M
 DE SEIGNELAY.

OB REPORTATAM SUMMA
 cum laude Lauream Philosophicam
 in Collegio Claromontano.

GRATULATIO PARÆNETICA.

QUÍ resonat plausus? quódque hoc illustre Theatrum?
 Confessus quinam tantus? quæ tanta corona
 Semideum, quæve ex hominum lecta ordine primo?
 Qui priscis, caveæ fremitus non iste cruentæ;
 Effera Cæsarei non hæc spectacula circi;
 Pulvis Olympiacam sed nec sapit iste palæstram.
 Lætius hîc nostras, & longè humanius aures
 Allabi murmur, cœloque affine videtur.
 Quàm dulcis laudum, quàm mulcet amabilis iste
 Concentus? quod certamen? quíve iste triumphus?
 Demum virtutis quodnam est decus istud inermis?
 Pax oleâ redimita comas hîc unica nempe,

L iij

Quæque Astræa soror comes illi imbellis adhæret.
 Nec pugnat, Bellatoris sub numine Regis
 Ita geri, quod sublimis testatur * imago
 Illius è solio; quippe hîc solum ille triumphans
 Non Bellator adest, partâ per bella quiete.
 In media quæ Pace igitur certamina surgunt?
 Palladius certè hîc aliquis fert præmia miles,
 Et trabeam fascésque capit. Sed quis tamen iste
 Certatot tantus? quantumque est instar in illa,
 Ora ferat quamvis annis iuvenilia primis?
 Si conferta potest penetrari turba, theatro
 Accedam propior, noménque genîsque decebor.
 Ah! primo aspectu sese mihi prodit utrumque.
 Patre satus magno, mox magnus & ipse futurus,
 Hic est C O L B E R T U S , spem Gallis arduus æquam
 Ostentans, vel majorem, nec credo Parente
 Invito, culmen quamvis tenet ille supremum,
 Civilis quocumque potest Prudentia tolli.
 Vix habitura fidem Nati hîc audimus ab ore.
 Proh! superi, quantâ est Sophiæ penetralia luce
 Intima rimatus jam nunc, aperitque videnda?
 Menti non illi penetrata arcana Lycei
 Sunt sola; externos lustravit & illa recessus;
 Nil illam fugit per devia quæque vagantem.
 Rixantes per & illa choros, per scissa Sophorum
 Agmina, & ancipites est interfusa catervas;
 Per nova C A R R E S I I , per quæ renovata fuere
 G A S S E N D O . nulla hic Sophiæ peregrinus in aula;
 Indigenam credas quascumque accesserit oras.
 At verò, ut firmet sumpsit quæcumque tuenda
 Bellator, quanto Rationum umbone coruscans
 Hostiles acies, emissaque tela retundit?
 Ipsa adversa phalanx, aliis tot clara trophæis,
 Tot palmis ornata, illo se fassa minorem
 Miratur, ceditque lubens, inhonorâque signa
 * Eminebat Imago Regis, cui Theses erant dissolutæ

Ante pedes , victasque aquilas deponere gaudet.
 Isto macte animo , macte hac virtute , triumpha;
 Invicta o Juvenis ; palma hoc magis ista decorat,
 Quod Dux ipse tuus , quod miles & ipse : vocatus
 In partem minuit laudum praeconia nullus.
 Cum tamen antiqui dicatur moris , * honores
 In mediis , etiam justos , tenuare triumphis,
 Acribus aut monitis fastus frenare superbos;
 Aequari coelo titulis & honore videbant
 Qui se se , simul esse homines ne forte lateret;
 Tale vetat metui , COLBERTE , Modestia note
 Sat tua , quaeque Patri tradux accepta referti
 Jure velit ; laudes inter , patiare moneri
 Pauca tamen , licet illa animo praeceperis ipse.
 Emeritum ne te post haec stipendia credas,
 Clara licet , nil jamque viae superesse secundae.
 Nondum tota tibi cura est exhausta , laboque.
 Doctrinæ ulterius præpanditur æquor arandum.
 Majoris sunt haec studij primordia , semper
 Hoc namque in stadio ni progrediare , recedes.
 Non te deliciae , non mollis inertia frangat,
 Qua plerumque solent iuvenes marcere beati.
 Ingenij specimen cum primum insigne dedere,
 Tunc desidatum credunt satis esse superque;
 Copiaque hos luxu splendente domestica mergit.
 Sed nec adulantes admitte . Haec altera pestis,
 Et quæ fortunas comitatur & obsidet uncas.
 Blanda propinabunt circumlita laude venena,
 Immitent teneris urentes floribus austros,
 Injicienque tuis remoras progressibus uncas;
 Impercepta velut Vulcania vincla , latentes.
 Te prætergressum dicent iuvenilibus annis,
 Nedum admotum illi , quæ meta senilibus olim
 Praefigebatur curis , canoque labori.
 * Roma soliti Triumphantibus mordacibus dicteris , &
 scommatibus appeti.

Excute sed te ipsum, temerè & tibi credere noli.
 Gallica discenti, Romanaque jura supersunt,
 Et quæ plura potes monitis lustrare paternis.
 Est doctrinæ orbis peragrandus, & ambitus omnis.
 Noscendi mores populorum, & propria jure
 Quæ Rex quisque habeat, vel quæ sibi vindicet exlex.
 Ac te non tantum privata scientia tangat;
 Occulto studuisse tibi nec sit satis uni.
 Patri multa tuo debet jam Gallia, plura
 Mox quoque debebit, quod te sic educat, olim
 De Rege, & regno, studio ut merearis eodem.
 Viribus huc, debesque animo contendere toto.
 Historiæ luce, hac vitæ, motumque magistrâ,
 Debet tota tibi lese reserare vetustas,
 Sacra, profana, ac se præsens quoque clarius ætas
 Pandere; namque, domi cæcus, quis malit acutæ
 Cuncta videre foris, illarum more sororum,
 Quas olim vatuum non fabula fixit inepta?
 Unde, novis & se monitis occasio præbet:
 Scilicet Aonias ne dedigneris ad artes
 Has nostras flecti interdum, nam plura juvabunt.
 Non ut, Pierius mentem nisi concitet ardor
 Sponte sua, pangas invitit carmina Musis:
 Nec, si Musæ adsint, his & te impensiùs æquo
 Indulgere velis, nempe ad majora vocatus.
 Ulla etiam per me liceat ne carmina condas:
 Attamen evolves Græcos Latiosque Poëtas,
 Saltem qui frugis melioris, qui quid honestum,
 Turpèque, quid rectum, quid non, nervosiùs ipsis,
 Et melius dixerit Sophis; sed cortice dempto
 Vult enudari doctrina recondita sæpe,
 Cum face sæpe sua sit & ipse vocandus Apollo.
 Hos habet Eloquium, simul & Sapientia fontes.
 Exemplique meo si non hæc dicta probantur,
 Artificis vitium non hoc quis dixerit artis.
 Non huc me, Heroas tantum commendo Poëtas.

Hos

Hos tu nocturnā , curāque evolve diurnā.
 Quò tamen usque feror ? laudandum hoc carmine
 tantum
 Qui te suscepi , Monitoris munere fungor ?
 Cura paterna satis tibi num valet illa præire ?
 Num studiorum & qui datus est * Moderator , honestę
 Duxque comēsque tibi qui vitæ , & junctus amœna ;
 Præditus ingenio , medio ceu fonte leporum
 Imbuto , quo non aliud sit cultius ullum ;
 Cujus candori certat solertia , morum
 Insuper integritas , & cum probitate venustas ?
 Quid ? tibi qui Sophiæ * Doctores ? semina nonne
 Cætera mandarunt in longam turgida messem ,
 Mansurisque valent præsentes usque videri
 Consiliis ? hæc , luce facem ducentia multâ ,
 Sydera nonne viam studiis signasse futuris ,
 Monstratōque valent te tramite ducere longo ?
 Hanc æquare domum potuit quæ Porticus olim ?
 Quod par nunc Virtus , habeatque Scientia templum ?
 Esse fatemur opis tua nil certè indiga nostræ ;
 At meritis non possum alia mercede paternis
 Exolyi , pretium datur hōcque rependere solum :
 Quod simul , ut spes est , Juvenis suavissime , vultu
 Accipies placido , atque animo dignaberis æquo .
 Quod tenuis dat acerra , illo tibi thure litamus .

* D. Isarnius . * Patres societatis Iesu .





*AD EVMDEM
OB REPORTATAM, POSTERO DIE,
ETIAM LAUREAM MATHEMATICAM,
EPIGRAMMA.*

QUAM subitus, COLBERTE, labor mox subditus alter?
 Et tibi quanta seges laudis' uterque fuit?
Alcidi, invicto quantumvis robore, nulla
 Est ærumna duos continuata dies.
Es Sophiam tutatus heri, subjuncta Mathesis
 Propugnata armis est hodiæque tuis.
Carmine quam frustra metui, monuïve, priori,
 Laxa nimis ne te carperet ulla quies?
Hortatus quam sum frustra parte addere semper
 Doctrinæ? acquiri vix super ulla potest.
Tam diversa vagum cum per systemata Mundi
 Te video notis Ite, redire viis,
 Ite, redire, domus velut est sua cognita cuique;
 Mirari primum, moxque silere subit.
Inove, sed semper felicibus, Icare, pennis:
 Alis Musa carens nostra, relicta dolet.
Hesternoque sequens sic est defessa labore,
 Ut breviore hodie claudicet illa pede.



A D E U M D E M,
REGI A SECRETIS INAUGURATUM
PATRI SUCCESSOREM.

G R A T U L A T I O .

NATE Patris magni , cujus vestigia præpes
 Jam sequeris , gressu jam propiore teris ;
 Gratuler anne tibi , an Regi , Regnoque , paternus
 Quod modo , quodque tuus sit simul auctus honos ?
 Augetur Patri cum munere cura recenti ;
 At Rex partem oneris te quoque ferre jubet .
 Officium mandat patre sub Ductore secundum ,
 Donec Rectorem , tique sequare Ducem .
 Eveniet ; cum mox lustraveris alite cursu
 Immensum hunc campum , qua tibi cumque pateret ;
 Cum præcepta avidè mox hauserit omnia præcox
 Vis illa Ingenij , sedulitasque tui .
 Quæ Sophiae non vela dedit , Jurisque profundo ?
 In tam vasto illo qui latuere sinus ?
 Quidve occlusum alibi ? que non vel ad intima ventum ?
 Largiter & quo non juvit ab amne bibi ?
 Doctrinæ fœcundum omnis tibi pectus , in ævo
 Hoc verno ; à quavis nobile nomen habes .
 Jam civilem istam rapies quam protinus artem ,
 Cujus & à cunis vix potes esse rudis ,
 In moderante domo , Patre natus , tanta regente ,
 Et qui tam dignè fræna secunda tenet ?
 Quid non aptâ adeò speretur ab indole , natu
 In cultum cum se cura paterna dabit ?

Cum dabit exemplo sese, monitisque Magistrum?
 Naturæ ars concors quām celerabit opus?
Virtutem taceo quām sis quoque natus ad omnem;
Quīque vel aspectu concilietur amor,
Quām mores Doctrinam ornent, Doctrināque mores;
Quām medias inter sisque modestus opes.
Nulla est ausa tuam tentare superbia mentem;
 Et privata amplo frons in honore manet.
Qui turget crescens, & honore recente superbit;
 Et cristas alto vertice tollit ovans,
Quod Fortuna dedit, se non meruisse fatetur;
 At tumor ille à te, fastus & omnis abest.
Hæc propter, te vota etiam communia ferrente
 Ulteriūs, si quis celsior esset apex.
Si splendore domiūs, vel si meritisque paternis
 Hæc via non esset pervia facta magis,
 Fecisses Marte ipse tuo, magis attamen ægrè;
 Sola tibi lenta gratia facta moræ.
Te sibi delectum modò Rex gratabitur, & te
 Complexura suo Gallia lœta sinu.
A Patre tota tibi tradetur denique lampas,
 Permittere ambas unus obire vices.
Nec tamen id, fueris quo primum tempore dignus,
 Namque & serum optas ipse præesse Patrem.
Olim sufficiet sibi te, simul ipse superstes,
 Te longumque fruens, emeritusque diu.
Gaudebit, cùm te cernet civilibus undis
 Luctantem, quā nunc prævius arte docet;
Et puppis Rectori operam navare fidelem,
 Noctesque, & totos advigilare dies.
In te continuò credet sese ille renasci:
 Lætitiae radix ipse perennis eris.
Interea vivētque sibi; lenique dierum
 Agmine, curarum præmia digna fereb.
Quando laboratur titulorum & pondere famæ,
 Cùm laudum vertex, cùm cumulūisque gravat.

Patria cùm meritis impleta , exhausta sed ætas
Jam propè ; quod superest , hoc sibi vita petet.



A D E U M D E M , P A T R I C O L L E G A M .

Et simul , cum ipso , parte muneris jam fungentem;

Ille ego , qui palmas cecini , laurósque palæstræ
SEGNE LÆ tuæ , studiorum in pulvere partas
Omnigeno , Sophiæ , junctæque Matheseos , ample
Juris & in stadio , nec non in qualibet arte
Ingenuâ , te dignâ , annis juvenilibus aptâ ,
Deficio , majoris opus te carpere molis
Cùm video , Regnique graves attingere curas ,
Sub magni auspiciis , ductu , exemplóque parentis .
Non semel illiūs jam namque in laudibus hæsi ,
Expertus tenues Musâ nimis impare vires ,
Deseruit quæ me , dignè celebrare parantem ,
Promovit fidus quanta & quām multa Minister ,
Celso sub Regis moderamine , cuncta moventis
Nutu supremo , dextrâque regentis habenas
Prævalidâ , sed qui , velut & Deus ipse , secundas
Demandat curas , aliásque hinc ordine longo ,
Usque cohærentes , nexu inferiore , graduque ,
Ordinis illarum primi pars quanta Parenti
Est dudum delata tuo , quām sufficit unus
Tot tantisque simul , quis carmine dixerit æquo ?
Nempe arcana illi quām sunt faustè intima quæque
Credita , totiūs commissa impendia regni ,
Bello & pace ; mari terraque , intusque forisque ,

Immensaque operum moles , regalia cœlo
 Tecta æquanda , orbis miracula , Regéque tanto
 Ac Domino quæ digna suo , quámque esse decebat ;
 Quæ Majestati sedes æterna paratur :
 Quique Triumphalis struitur , mox Cœlifer Arcus ,
 Surgensque Aërio mox vertice sydera tanget ,
 Cæsareos superans omnes , unâque futurus
 Regis laude minor , vasto , immensique capaci
 Hoc spatio partis non sufficiente trophæis ?
 Nec placet his etiam curas includere metis .
 Namque , ejusdem ampio molimine , Solis & ortum
 Et lustrant pariter Commercia nostra cubile ,
 Artificumque domi diversa industria certat .
 Compositi regnant mores , legumque reductus
 Est timor , Augsti supero sub numine Regis .
 Sunt Doctrinæ omnes opibüsque & honoribus auctæ
 Regiaque Harpyis extorta rapacibus æra ,
 Et , quantum humanâ potuit ratione caveri ,
 Est via nunc omnis simili præclusa rapinæ .
 Urbs ornata , salus noctu stabilita , diuque ,
 Nequidquam toties tentata , relictaque solis
 Jam votis ; aptæ merces exponere ripæ ,
 Quaque juvat , frænatæ undæ munimine celso ;
 Stratique longarum series porrecta viarum .
 Quin & , ubi portus Natura maligna negabat
 Æquoreos , aut infidos præbebat , amica
 Brachia tendentes facti sunt arte , manique :
 Quodque fidem superat , mare jam festinat utrumque
 Committi , cumulatque hujus miracula regni .
 Quid plura ? æstivas citius numeremus aristas ,
 Sylvarumque comas , Patris quam cuncta labore
 Perfecta , & vastâ volvit quæ plurima mente ,
 In commune bonum , in Regis noménque , decusque ;
 Unde quies illi rara est , omnisque voluptas
 Exclusa , hanc præter , virtus quam conscientia præbet ,
 Ac , si Fama sinat , laudem aversetur & omnem ,


Nec mihi tu leviora paras , præfulgida quando
 Mox propiore terens Patris vestigia gressu,
 Eripiere oculis per non minus ardua nostris.
 Et verò , quas non affers jam munus ad illud
 Ingenij dotes ? quam non peregrinus & hospes ,
 Advenaque accedit , sed natus & aptus , & usus
 Vix ullius egens jam nunc , Prudentia partem
 Dum tua præcepit , veluti prævertit & annos ?
 Scilicet egregius Naturæ partus in ipso
 Se probat exortu ; proprio eluctamine , nisu ,
 Impulsuque suo præclarè erumpere gestit ,
 Ac , rerum dum limen adit , quid nobile præfert .
 Purgatus nondum situs est , scoriæque remotæ ,
 Impatiensque adamas scintillat , splendet & aurum ,
 Dantque sui specimen ruditis inter fulgura lucis ;
 Quid demum , artificis cùm juncta industria dextræ ?
 Eximiâ talis præstabas indole dudum ,
 Patre satus magno , scintillâque plurima fulsit ,
 Nativò affluxu , veluti de fonte perenni ,
 Luce micante novâ , florens adolevit ut ætas .
 Sed quantum , ô Superi ! prima hęc Patris insita virtus
 Ejusdem crevit curâ , cultûque Parentis ,
 Illiū poteras cùm nondum assuescere factis ,
 Illaque mirari , nimiū iuvenilibus annis ?
 Proximus inspector fuit ille , utcumque vacabat ,
 Cumque datum summis se Regni excerpere rebus ;
 Quamvis & Regno , cui te talem ille parabat ,
 Tum quoque consuluit , nec pars hęc devia cutæ .
 Sic animi vis illa sagax , solerisque , paterno
 In te manavit studio , non sanguine tantum :
 Ac demum hæserunt exempla domestica , menti :
 Sic agnata tuæ , sic assuetudine fixa ,
 Ut progressurus sis mox uno ipse tenore ,
 Aurea consimili succrescens virga metallo .
 Quæ pertentabunt Patris modò gaudia pectus ,
 In te curarum positâ cùm parte recumbet ,

Cum cernet conforte in te se se ille renasci?
 Hinc & nostra etiam sperat juvenescere Musa;
 Téque sequi, longè haud nimium, nisi passibus æquis;
 Præcipue, quando illa tuo recreata favore
 Tam fuit humanè, tamque est excepta benignè,
 Quo tibi concilias animos sermonis amœno,
 Et quo sydereo sis comiter obvius ore.
 At te privatim licuit cum nosse, tuique
 Passus es ingenii jubar affulgere propinquum,
 Quam stupui! quando de te mihi nota recenter
 Sunt quoque vīla tuam longè superantia famam,
 Quod non sāpe tua positis in sorte, parique
 In splendore domūs, fortunisque accidit amplis;
 Auget in immensum namque assentatio justi
 Quocumque est meriti, vitiis quoque subdit honesta
 Nomina virtutum; verūm non laudibus ullis
 Fœcundatur ager, sed rastri & vomeris usū,
 Ut nec adulator doctas menti inserit artes,
 Sed labor, has pretio divendens omnibus æquas;
 Divitibusque parem qui se se & præbet egenis,
 Neutris desidiæ somnique benignus inertis.
 Ætate in studiis puerili utcumque peracta,
 Liberoris iter vitæ, custode remoto,
 A Patribus, sine lege solet, sine vindice pandi,
 Arbitrioque suo juvenis permittitur uti
 Intempestivè, quando majore regendus
 Est cura, lapsus dum nempe nocentior omnis;
 Errorem quando magis emendaverit ægrè
 Vel minimum, nec tunc æquè indulgentia prona;
 Et discenda diu longè graviota supersunt.
 Hoc tuus ille Patens prudenter cavit, & ultro
 Cavisti ductu ipse tuo, non otia ducens
 Segnia, vix patiens & subcisiva perire,
 At vigil usque magis quæ jam referata peragrans,
 Quæque tibi fuerant huc usque impervia lustrans,
 Ipsi vix certè potui mihi credere, qualis

Quantaque Doctrinæ jam sit tibi parta suppelle^x ;
 Ut, properata licet, studiis, nullo ordine, crudis
 Non cumulata tibi, at gradibus distincta laborum,
 Ac placitura seni, quæ jam structa arte severa,
 Et curæ jam te tunc instituente futuræ.

Æmulus hinc animus nostræ crevitque Camoenæ;
 Quæque tuas celebret laudes, vix celsior ulla
 Consurget, Latio vix ulla sonantior ore,
 Par sibi ritè aliquid meus hic si spondeat ardor.
 Materiæ vel si nimia (quod & opto) gravabor
 Pondere, materiæ, qualis nempe illa paterna :
 Tunc ego te, digno nequeam si carmine, votis
 Prosequar, & vinci latusque, volensque fatebor,
 Ac, potero quocumque alio, tibi thure litabo.
 Maxima quippe cadit, non unica victima taurus;
 Nec fas tantum aris fructus appendere, præstant
 Florea ferta suos, & ouentia munera cultus.





DIRÆ

*In sacrilegum Sicarium, qui in Ecclesiâ Pa-
risiensi sacrificantem Sacerdotem ferro app-
tiit, & sacra sceleratissimè violavit.*

DR OH Superi ! monstris olim quæ dicta carere
Gallia , quo tandem potuit nunc edere fato,
Ipsa quod anguipedum non æquet fabula fratum,
Qui supero voluere Iovem detrudere regno ?
Profiluit verum qui nempe lacestere Numen,
Perque nefas cunctis posthac dubitabile sæclis
Est ausus , cumulans uno hōc in criminē plura;
Quorum vel minimum non pœna piaverit ulla:
Alma sed immanem peperisse hanc Gallia pestem
Jure negat ; non sic averso est horrida Sole,
Non illa in tales est apta tumescere partus.
Exiliit mediis hic è penetralibus Orci,
Invisumque audax Solem ferre , induit artus
Humanos , Galli nomen mentitus , & ora.
Hinc , scelerum per mille gradus , se culmen ad istud
Provexit , celsum manibus rescindere cœlum
Ut se posse putans furiali erumperet auso.
Horresco referens. En , Urbe in principe regni,
Principéque in Templo , numerosâ , undantéque latâ
In turbâ , in celebri quoque luce , & tota tremiscit
Cùm Natura Deum sacrâ sub nube latentem,
In manibûsque hominis , supplex , acclinis , adorat
Autorem , Regémque suum , sua cuncta moventem;

Impius hic , ejusdem hominis (violare potestas
 Quando nulla Deum) stricto latus haurit apertum
 Ense ferox , turbat , raptat , calcatque verendi
 Et sacri potuit quidquid violabile lædi ,
 Quod nequeat majora , dolens , & crimen anhelans
 Hoc etiam gravius , si possit atrocius ullum
 Mente capi , stygiâ vel si patrabile dextrâ.
 Ah ! felix patrum quæ talia nesciit ætas ;
 Infelix , sceleri testis servata nefando .
 Ipse quidem periit flammis ultricibus autor ,
 At poterit sæclis aboleri infamia nullis ,
 Et nostrum æternus meritò damnaverit horror .
 Quamquam ô ! num Pietas illud purgarit abunde
 Publica ? Quam precibus , lacrymis , dapibusque negatis
 Jejunus populus , quam cum populoque Senatus ,
 Quam Clerusque Dei non exarmaverit iram ,
 Præfulis haud equidem jussu , aut hortamine solo ;
 Ejus at exemplo , longè quô prævius ibat ,
 Officio quantum , tantum & pietate supremus ?
 Non , mihi si linguae centum , percurrere possim ;
 Sunt illi quantis hæc facta piamina curis ,
 Quam divina illi , quam sunt cœlestia cordi .
 Quid ? quæ , Pontesiae sacris de rebus agentes ;
 Cœtus Apostolicus , lectissima Sydera Cleri ,
 Decrevere Patres , quæque his suscepta , pieque
 Reddita vota , acri cum Religionis amore ?
 Quid non illorum jejunaque mensa , dataque
 Pauperibus meruere dapes , gemitusque , cinisques ;
 Et quodcumque aliud cœlestem emolliat iram ?
 Libratum poterant hæc ipsum avertere fulmen ,
 Aequora mergendis laxata revolvere terris .
 Nec facinus sic Posteritas horrebit , inausum
 Lapis jam sæclis , magè quin venerabilis ista
 Sit Pietas , facinus fuerit quæ digna piare .
 Nec taceam , quam Rex ad crimen inhorruit illud ,
 Quo temeratum audit , cuius vice fungitur ipse ;

Tam tetrâ fœdata dolens sua tempora labe,
 Tradebat seris quæ tota illustria fastis.
 Quàm solitâ sese pietate in vota , precésque
 Regina effudit , puras ad sydera palmas
 Prorendens ? omni quàm demum est corde litatum?
 Summe Deus , nostri nil te nos scimus egere:
 Nil tibi contulerit Rex quàm plebecula majus;
 Accedítque tuo nihil , aut decedit honori,
 Nostro vel studio , vel culpâ , sufficis unus
 Nam tibi: sed de te voluisti posse mereri
 Nos aliquid (licet hòcque tui sit muneris omne)
 Jusso te cultu quando veneramur , adéstque
 Cùm sincera Fides , aut à te exposcitur ipso
 Augenda , & velum sibi cùm rogat illa reduci.
 Est tibi , quæ potuit , reverentia præstita ; noxa
 Est aliena procul precibus depulsa , fidéque,
 Communi & luctu : deletum est dedecus atrox
 Autoris pœnâ , fletusve hoc eluit insons.
 Quid supereft ? En devotos , ad cuncta paratos,
 Dixeris ipse licet , peccati pœna manebit *
 Quemque sui , sua culpa uni nocitura nocenti.
 Téque , tuíque in nos summi veneramur amoris
 Perpetum monumentum hòc sub velamine panis;
 Hic & adoramus te , spem , pignusque salutis
 Æternæ , his uti tanto qui munere norint.
 Impinguari animas hâc carne , hòc sanguine nostrâ
 Credimus , & mensâ dignati cœlitûs illâ
 Mente tibi totâ grates persolvimus. ah! ne
 Unius ob noxam , & furias , tua sæviat ira
 Hujus in exortes sceleris, facinusque perosos
 Horrendum ; quamvis alio sine crimine nullus.

* Dens. 22. 18.






**AD ILLUSTRISSIMUM
ET REVERENDISSIMUM ECCLESIAE PRINCIPEM
JACOBUM BENIGNUM
BOSSVET,
CONDOMIENSEM EPISCOPUM
DESIGNATUM.**

EPIGRAMMA.

PRÆ reliquis, nomen poterit mea Musa videri
 Ad cœlum, ô PRÆSUL, tollere prompta tuum;
 Ac levis illius, tenuisque innata facultas
 Hic, quo non modicum crescere possit, habet.
 Nämque ego sum, teneris qui te miratus ab annis,
 Hanc qui te vidi laudis inire viam,
 Pérque gradus omnes oculis, sūmque aure securus
 Quà licuit; stupui téque per omne decus,
 Humanam per doctrinam, mox pérque Lyceum,
 Denique per campos dum spatiare sacros,
 Sive in Sorbonâ reddas oracula, Rege
 Seu coram, blandus, fulmineusque, tones;
 Seu divina alibi pandas mysteria; sancto
 Ardent nam studio pulpita cuncta tuo.
 Ingenij audivi, morum miracula vidi,
 Prædixi vates, quæ modò certa probas;

Hinc igitur poterat mea Musa paratior esse;
 Venturi quærum conscientia nempe fuit.
 Obstata illud idem, quod tam mihi cognitus antea es;
 Materies ideo me nimis ampla premit.
 Paucis complecti verbis tua cuncta, simile
 Hæc laudare, alius sat putet esse sibi:
 At, tua dum roculo, me singula quæque morantur,
 In te qui laudis singula digna scio.





AD EUM DEM,
ELECTUM DELPHINI
PRÆCEPTOREM.


EVENTURUM etiam præsago hoc lumine nos-
 ram,
 Ips nec tacui, PRÆSUL, tibi; nempe futurum
 DELPHINI ut studiis esset tua cura regendis
 Præficienda. Nec id supero sine numine factum;
 Nec quidquam hic potuit REGIS prudentia majus;
 Cum MONTALSERII celso moderamine juncta
 Quid non promittit tua docta industria? quid non
 Ille docendorum sapiens delectus, omissis
 Obtrudi quæ sœpe solent molimine multo,
 Et figi insubidè memori quoque mente jubentur;
 Quorum, præcipue Regi, nil conferat usus?
 Nosceret DELPHINUS jam mox, gratoque labore;
 Te properante illum, simul & moderante, paretur
 Quod satis, interpres ne scripta aut dicta revelans
 Sermone in Latio queratur, quodque probandum
 In vinceto numeris illo, numerisque soluto
 Indicet. Ipse etiam sua rite oracula reddet
 Romanè, párque ejus erit facundia rebus,
 Externâ quæ se dederint cum Gente gerendas;
 Colloquiis in privatis aderitque diserta,
 Juverit huic sese quando indulgere loquela.
 Verborum at cultus si religiosor absit,
 Sollicitus nimis, & cuius nimis anxia cura,

Qualis inest , quibus hinc vel honos , petiturve lu-
 cellum ,
 Regia Majestas illud supplebit abundè ,
 Atque Palæmoniæ non invida cesserit arti .
 Nimirum , linguam post hanc , discenda supersunt
 Plurima , summi usus ; nec Reges cura loquendi
 Sola manet , longè adposcit sed major agendi .
 Verum , præ reliquis , hoc in te est pluris habendum ;
 Quod non Doctrinæ tantum Præceptor , at idem
 Accedes morum , verbo , exemploque Magister ,
 Moribus ipse docens propriis , imitabilis author .
 Te monitor Deum , simul & præeunte , timere
D E L P H I N U S jam nunc teneris assuescat ab annis .
 Fundamen jacies reliquis Virtutibus illud ,
 Aut jactum firmare manet te postera cura
 Per facilis tibi , divini Præco inclyte verbi ,
 Huncque Auditori suete ingenerare timorem .
 Altius infigi Regi tamen ille futuro
 Debuerit , quem mox quatiet subitura potestas ;
 Altâ sique minus sedeat radice , refigeret .
 Accipiet simul ille animum mentemque benignam
 In populos à te , qui tam sortitus amoenos
 Es mores , quos sicque aptas ratione regisque
 Ingenitos , animum qui sic artesque per omnes
 Excoluisti , ut te Doctrina haud fugerit ulla .
 Frustra queratur socius tibi , quique docendo
D E L P H I N O jungat doctum ad quodcumque laborem ;
 Sufficiet tua sola penus . Sed & insuper illis
 Est in tradendis solertia quanta futura
 Hæc tua ? quam molles aditus reperire parata
 Ipsa à Naturâ , quo præstas oris honore ,
 Illicio venerando , animis irrepare prompto ;
 Externam hanc speciem superans mentisque decore
 Longè majori , cuius coelestis origo ,
 Summis quique tuis Charites Virtutibus æquat ?
 Aspera **D E L P H I N O** quæ jam via , quæve molesta ?

Aut

Aut potius poterit quæ non per amœna videri?
 Non solum studiorum illi, Virtutis at omne
 Mox æquabis iter; sparges quoque floribus, illo
 Quō polles adeo mellitæ hortamine linguae.
 Sed jam te nimiū moror, atque in publica peccō
 Commoda. Mandati felicem ad muneris orsum
 Dum tardo properantem, haud hæc mora criminis
 expers.
 Rursus eris majore mihi mox ore canendus
Ubere cum fructu properi palmâque laboris.





AD SANCTISSIMAM
ET ILLUSTRISSIMAM
ECCLESIAM PARISIENSEM,
GRATULATIO,

*Ob designatum illi Archiepiscopum
FRANCISCUM DE HARLAY
Archiepiscopum Rothomagensem.*


EREPTO mœrens P E R E F I X O Antistite, digno
Tot certè lacrymis, longumque superstite luctu,
Protinus ecce alio recreâre, E C C L E S I A , cœlo
Qui missus, dextrâque Dei suffectus amicâ,
Fletus abstergit, viduosque hilarabit amictus.
Hic ille H A R L A U S , tam famâ & nomine notus
Qui Tibi, felicem quo Præsule Neustria summo
Dudum se jactat, laudosque æquavit Olympo.
Scis Gentem H A R L A E M ; quam sit bellisque, togâque
Insignis, totum quam penè propagine Regnum
Est complexa sua, quam demum sequent Penates
Fudit in externos, Divum quoque sanguine claros;
Affines Scepbris etiam agnatosque superbis.
Hæc taceo: Præsul laudum nam sufficit unus
Sat seges ampla tuus, satis hōcque beabere solo:
Quas nempe hic dotes non affert Sponsus: amore
Quamque hæc digna tuo Pietas, Doctrina, paratum
Eloquium, & præsens dicendi copia, sese

Pandit Apostolici quā muneris ambitus ingens?
 Vix meditatum alius, quale hic ex tempore profert;
 Tām fōcunda penus, tam vasta scientia sacri
 Est omnis, retro sic se latēque revolvens,
 Illum cana nihil celare ut sācula possint.
 Quid? quando accessit justo meditamine cura;
 Cūm vires matura suā industria junxit,
 Et sese indulget plenis facundia velis?
 Hanc quoties sacri moderantem frāna Theatri,
 Et nunc divini pandentem oracula verbi,
 Regia nunc sanctā decorantem funera laude
 Vidimus, & plausus sunt quanti verba fecuti,
 Implevitque animos quanta admiratio cunctos;
 Aut potiūs quām se tum quisque excussit, & ipso
 Se melior factus mores pro laude rependit?
 Quin, aliis etiam quando de rebus agendum,
 Privatis in colloquiis, aut publica quando
 Concilia, & magnus contingit Cœtus initi,
 Cūm grave tractandum se quidlibet obtulit, hīc quos
 Non solvit nodos, quæ non obscura revelat;
 Illius solidum quō non pertingit acumen,
 Quid non illius demum expugnatque Suada;
 Privato condire solet quæ cuncta lepore,
 Et nativo illo quo tota exundat amēno?
 Nec taceam, quantas ipsa hæc jam maxima vires
 Illo à sydereo sumit facundia vultu,
 Cujus ad aspectum sic conciliatus adhæret
 Auditor, mox ut non assensisse puderet.
 Candidius nec Cor pateātve benignius illum;
 Quodque capi merito sic se patiatur ab omni,
 Aut potiūs captum sic se latetur, amētque.
 Ingenium si cui, si cui non publica vena,
 Si non vulgari quis se pennæ evehit ausu,
 Ille potest tanto se commendare Patrono,
 Omnigenis apto doctis natoque fovendis,
 Regalique animo si regia copia desit.

Quid, modò cùm sedes admiserit amplior illum,
 Jam non, vasto animo, curas versare minores
 Addictum, æthereos spirare angustiis ignes,
 Virtutum radios gyro breviore prementem,
 Atque inclinantem meriti fastigia summi,
 Attolli spatio quæ liberiore petebant?
 Captura est illum vix ipsa LUTETIA tantum,
 Tantaque par illi vix se putet esse Theatrum.
 Doctorum fœcunda virum, fœcunda piorum
 Illius exemplo crescetque rigata favore.
 Nec, Musas qui tot LODOICUS honoribus auget,
 Ingenuisque omnes ad culmen promovet artes,
 Hunc, aliumve feret privatum quemlibet ægre
 Privato sua more sequi vestigia longè,
 Quodque potest animo, gressu, & molimine niti
 Hanc simul ad Famam, consorteque laude potiri.
 Incomitatum etenim tantum procedere Regem
 Hic etiam nec fas fuerit, fueritve decorum.
 Ac neque Mundum animans Sol protinus omnia per se
 In mundo peragit, causas sed & ille secundas
 Conspirare sibi patitur, permittit & ignes
 Una adhiberi alios omnis fons ipse caloris.
 Sic & Rex, qui Sol pariter, quive ejus imago,
 Omnis rivalem patitur virtutis amorem
 Non solum, at gaudet, gratatur, provocat ultrò,
 Conscius ardoris proprii, quod cernit ipse
 Tam virtute alios, & honesto, & vincere Justo
 Et pulchro, sceptri cunctos quam vincit honore.
 Quin hujus quoque Fama decus cùm Præfulis auctum
 Vulgavit, læto implevit cùm murmure vota,
 Has simul in voces sonuit Parnassia rupes;
 CRESCE, Virtutes, summisque haec floreat artas
 Ingeniis, tantus quando Rex prospicit orbi,
 Antistesque Urbi, sua cuique industria felix;
 Nullaque sudabit vano conamine Musa,
 Aut humana canens digno aut coelestia versu;

Perge igitur , quavis P R A S U L dignissime laude;
 Inter præcipuos decus ævi & gloria nostri,
 Musarum columen , simul & Pieratis asylum ,
 Perge hōc in celso magis ac magis usque Theatro
 Spectari , & toti radiare illustrior orbi.
 Urbi præficeris , Regni quæ culmen , apexque ,
 Unde boni latè manant exempla , malique .
 Hinc ergo & Regno prodeste videbere toti ,
 Ac urbes mille in Dominâ moderaberis unâ ;
 Totum servabis , membrorum in Principe , corpus .





AD CLARISSIMUM
ET ORNATISSIMUM VIRUM
D. PERRAVLT.
*POSTQUAM EST IN ACADEMIAM
REGIAM ASCITVS.*

RE G I A te socium junctis Academia votis,
P E R R A L T E , ascivit : Gratuler anne tibi?
Gratulor huic potius , vel saltem gratulor æquè ;
Mutua nam vobis gratia , láusque redit.
In partem Famæ si te vocat illa paratæ :
Confers tu dotes Ingeniique tui.
Partus Musa suos confert tua, prompta leporum
Quæ tibi de medio Carmina fonte fluunt.
Interea doleo , possim si jure dolere ;
Et , tibi quod gratum , si neget esse mihi.
Scilicet , ex illis , quæ furabare labori
Affiduo , nobis otia pauca dabas ;
Nunc tota ornandæ poscit sibi Gallica Lingua !
Quod Latïæ tempus , qui locus esse potest ?

FINIS.



